

METAMORPHOSIS FIDEI ORTHODOXÆ

D E
BONO IN MALUM,
E T
VICISSIM:

In Comitatu Trenchiniensi, ac vel maxime in Privilegiato oppido Solna
ab Anno 1690. ex M. M. SS.

Admodum Reverendi Domini

STEPHANI DUBNICZAJ

Ecclesiae Teplensis olim Parochi vigilissimi excerpta, nunc vero aucta, &
in ordinem redacta; ac in perpetuum Eximium
illius aetatis utriusq; Ecclesiastici tempore, &
secularis statis Fidei Romano-Catholicae
Protestorum & Zelotum memoriam:

P E R

REVERENDISS: DOMINUM,

D. DANIELEM KILIAN,

Venerabilis Capituli Agriensis Canonici,
Ecclesiae Sator-Ujheliensis Ple-
banum meritissimum Typis comissa,
& vulgata.

CASSOVIÆ, typis Academicis S. J.
Per Joann. Henricum Frauenheim, Año. 1737.

Pflanzt Glauben mit dem Schwert, und
dünget Sie mit Blut. (alle)



PRÆFATIO AD LECTOREM.

Priusquam duplicem hanc, quam descri-
bendam suscepimus, Religionis Catholi-
cæ metamorphosim aggrediamur, de fine laboris
nostrî, & vita Admodum Reverendi Do-
mini Stephani Dubniczaj pauca præmit-
tenda erant. Honestis parentibus, Vir iste
optimus in Comitatu Trenchiniensi natus,
primam aspexit lucem. Primis litterarum di-
scendis elementis maturus ad Scholas missus,
sub disciplina Patrum Soc. JESU eos in virtute
juxta, ac scientia fecit progressus, ut præ re-
 reliquis in Collegium Pazmannianum trans-
ferri, & in spem Diœcesis Nitriensis Philo-
phico, & Theologico studio excolendus dignus
sit judicatus. Respondit conceptæ de se ex-
pectationi adeo egregie, ut ob probatissimos mo-
res, applicationemque in condiscendis Aposto-

lico viro necessariis scientiis ab omnibus amari,
estimariq; sit meritus. Translatus ad salu-
tem animarum procurandam Teplensis Pa-
rochus datus est, ubi ita totam egit ætatem, us
nihil omiserit, quod ad pascendum verbo, &
exemplo gregem sibi commissum proficuum
judicabat. In præparandis ad felicem obi-
tum ex hoc mundo ægrotis, explananda doctrina
christiana, habendis concionibus, conservando
in ovili Christi tumultuosis etiam temporibus
populo suo, ac ejusdem sublevanda inopia, aliis-
que se dignis functionibus assiduus apud
omnes audiebat. Neque tamen Zelum suum
bis satiare poterat. Ut post mortem etiam
prodeisset animabus, varios libellos de primis
fidei Rudimentis, & Controversis quæstioni-
bus elucubratus est, & ut plebi etiam consule-
ret, lingvâ Slavonicâ excudi curavit. De-
scriptis præterea statum Religionis in Comita-
tu Trenschiniensi, quem habuit durantibus
motibus præsertim ultimis exactissime; qua
narratio ex authenticis personarum Ecclesia-
sticarum, & sæcularium relationibus concin-
nata, ubi ad nos perlata fuisset, dignam judi-
cavimus, ut aucta, & in ordinem redacta præ-
lo subjiceretur pluribus persuasi argumentis.
Merebatur enim primum memoriam Vir ve-
re Apo

re Apostolicus in lucra animarum vigilantissimus, qui succisivas horas, non in otio, aut sibi non convenientibus occupationibus ceterebat, sed utili scriptio*n* deputare in more habebat, usque ad vitæ finem, quām pīe in Domino 29. Præsentis sæculi terminavit. Alterum est: quād præsentis opusculi lectione posteros ad fortiter, constanterq; pro DEO laborandum animandos speraverimus; quorum majores posthabitatis omnibus difficultatibus sibi minimè desistendum putaverunt, donec Fidem Catholicam in Pristimum splendorem vindicatam intuerentur. Plurimū denique solatii in Solnenses, tum qui semel DEO datam fidem inviolatam conservaverunt, tum qui à via veritatis per Magistros prurientes auribus seducti aliquantum deflexerunt, derivatum iri ominabamur. Quis enim singularē erga Solnenses Patris Misericordiarum non agnoscat, & veneretur Clementiam, dum alios in tanta temporum perturbatione à lapsu custodivit; alios licet semel, atq; iterum ad Lutherum deficientes adeo clementer respicere dignatus est optimus Deus, ut spiritus divinissimi lumine illustrati reversi sint, totaque hodie solna à Catholicis habitetur. Atque hic scopus est suscepti laboris. Catholicis nempe

jam

jam gratulari, Erratibus vero, veræ, & nullis
 tumultibus subruendæ fidei viam indicare, ac
 demus Eximiorum Fidei Catholice Zelotum
 memoriam cum benedictione celebrare. Nulli
 nos bilem moturos arbitramur, sed nec
 volumus. Lector benevole lege,
 & fave.





PARS PRIMA.

Varius Religionis Catholicae
status in oppido Solna ab Anno 1600.
ad annum 1703. inclusive.

Paragraphus Primus.

Lutheranorum Conciliabulum sub auspiciis
Comitis GEORGII THURZO Solnæ
collectum, contra quod Eminentissimus Strigo-
nienſum Archi-Præſul FRANCISCUS
FORGACS Protestatur, & omnia
eius statuta annullat.

R eligionis Orthodoxæ mirabiles
Solnæ vicissitudines sub unum
daturi conspectum non injucun-
dam Lectori pio, nec indignam narratio-
nem concinaturos nos speramus. Quam-

vis enim locus iste, neq; dignitate, neque
populi frequentia primis Ungariæ Civi-
tibus conferri possit, ea tamen in eo
cum superiori, tum hoc, quod vivimus
sæculo, contigerunt, ex quibus, & sin-
gularis in Romana sacra quæ tuenda, quæ
propugnanda Virorum in Patria primor-
um industria, & quid heterodoxa, ubi
semel irruperit, moliatur audacia, e-
lucescit. Id vero, ut pateat, amplius,
quæ detrimenta jam ab anno 1600. re-
ligio acceperit, quas item Lutheranum
dogma progressiones fecerit, breviter
meminisse erit oportunum, quod major
Lux addatur iis, quæ deinceps relaturi
sumus. Abripuerant Solnam uti etiam
alias Urbes, & oppida, in errores pestife-
ros bella tum externa, tum vel maximè
domestica, quibus ferventibus orbatae
veris Pastoribus Christi oves misere à su-
pervenientibus lupis discerpebantur, eō-
que subinde Ventum, ut è prima etiam
nobilitate nonnulli Lutherum palam se-
qui non erubescerent. Quorum usi o-
peribus, & dignitate, ut suas partes
magis firmarent Ministri iniquitatis
anno 1608. Libertatem ante coronatio-
ne m

nem nacti, Comitem Georgium Thurzo conveniunt, petentes effictum, ut sua interposita auctoritate (quæ tunc Palatinalis non erat.) Synodam Solnæ celebrandam indiceret, in qua & Superintendentes deligi, & cætera, prout necesse erit, ordinari poterunt. Gratulatus est se adorari velut primarium columen Augustanæ Confessionis Dominus Comes, deditq; Literas 20. Junii 1609, quibus queritur, primùm: quanta cum injuria Religionis sacrae, ac gentis Ungaricæ indigenæ nostri sacris inauthorandi Wittembergam, Brigam interdum in alia remotiora loca profectionem hactenus suscipere sunt coacti, ac si non idem spiritus Domini in hac quoque mundi plaga spiraret, nosq; regeret. Subdit deinde: consultum videri, ut duo, vel tres Superintendentes elegantur, qui ad Pastorale munus aspirantes ad Sacro-Sanctum Evangelii ministerium promovendi habeant facultatem. Quocirca rogabat, ut die 15. Julii Solnæ frequentes adfint, ubi hæc diligentius discuti poterunt. Convenere pauculi, conclusum nihil est vel vitio invidentium sibi digni-

tatem, vel ob alias indignas, quæ referuntur causas. Non conqueverunt Prædicabula, sed iterum Solnæ placuit conventum habere 29. Martii anno 1610. in quo trigesimâ ejusdem (mirare una die fere gravissima negotia finita esse) Trium-Viri capitales, Mensarii, nocturniq; simul constituti (verba sunt Eminentissimi Cardinalis Petri Pázmány in libro cui titulus: Logi Alogi, pag. 38.) iiq; ut speciem aliquam vetustatis ministrorum referant judaicis nominibus cognomines, ac famigerabiles Viri Isaac Abrahamides, Elias Lani, Samuel Melichius. Hi omnes Protomistæ, ac Lutheranorum antesignani futuri denunciati fuere constituto iis Salario in singulos annos pendendo; huic celeberrimo conventui (iterum verbis Eminentissimi utimur) ne deesset Authoritas, subscripsere Barones maximales duo, Magnates nuperi non plures quatuor, nobiles sedecim, Cives tres. Ministri (qui ut omnium postremi, & in ipsis synodis Lutheranis nil nisi Lixæ, & Calones, extimiq; trahariorum, agmen claudunt, citimiq; subsignant) septem supra viginti. Posteaquam acta in lu-

in lucem prodiverunt, & ad manus Illu-
striissimi Cardinalis Franc. Forgács per-
venissent, admirabatur tam palmarem in-
solentiam ; deinde obviandum ratus pu-
blicō , typisq; excusō scriptō in hunc
modum edixit.

NO S FRANCISCUS FORGACS de
Ghymes, S. Romanae Ecclesiae Presbyter
Cardinalis, Archi-Episcopus Strigonensis, lo-
eiq; ejusdem Comes perpetuus, Primas Regni
Ungariae, Legatus natus, summus Cancellari-
us, & Secretarius, ac Sacrae Reg. Majestatis
Consiliarius &c. Cūm nos, licet immerentes,
Divina bonitas, Ecclesiae Metropolitanae Stri-
gonensi præficere dignata sit ; omni studio ad-
nitendum nobis intelligimus, ut quantum ini-
quitas temporum patitur , ovibus Christi ,
curæ nostræ commissis à Principe Pastorum,
ita consulamus, ut rationem reddituri de ani-
mabus, luspos ab oviaria Christi, etiam corpo-
rum nostrorum objectu arceamus ; assiduāq;
vigilantia exercubantes velut in specula consti-
tuti pericula eisdem denuntiemus.

Quia igitur superioribus diebus, ed usque
Asia eorum, qui concionibus miseram ple-
becie

beculam in errorum laqueos inducunt, proges-
 sa est, ut Coitionem quandam in oppidum Sol-
 nam indicerent novō, ac antea in Ungaria in-
 auditō exemplō, suæ Lutheranæ professionis Su-
 perattendentes eligerent, à quibus deinceps cæ-
 tera ministrorum turba initiaretur; Leges
 denique; ac decreta figerent, communi justitiae,
 legibus Patriæ, Ecclesiasticæ Libertati, Sacris
 Canonibus, DЕI decretis contrarias. Com-
 mittere sine animæ nostræ discrimine non po-
 tuimus, quin palam, ac publicè, omnibus illius
 conventiculi actis, ac decretis, tanquam ani-
 marum æterno exitio, communiq; justitiae ex-
 terminandæ natis contradiceremus. Princi-
 pid ergo, non sine plurimarum animarum
 perditione, Superintendentis nomen usurpari
 ab his novellis Ecclesiæ Dei turbatoribus, vel
 inde manifestè deprehenditur, quod ab ipsis na-
 scientis Ecclesiæ incunabulis; postquam Apo-
 stolico ministerio, Ecclesiarum Rectores Episco-
 pi sunt constituti, nunquam pro legitimis
 recepti sunt Episcopis, nisi quos aliorum Epi-
 scoporum ordinatio consecravit. Nam ut
 vetustissima Apostolicorū Canonum decreta ta-
 ceamus, Sacro-Sanctum, ac Universale Con-
 cilium Nicænum primum (quod vel conferre,
 nedum æquare Solnensi conciliabulo Sacrile-
 gum

gum foret) id, quod usu receptum fuerat, lege
 Sancivit: Ut Episcopus non minus, quam
 a tribus Episcopis ordinetur, ita tamen,
 ut Metropolitani Episcopi Authoritas
 habeatur, absq; quo ordinatio irrita sit.
 Canone 4. apud Russin. L. I. c. 6. Si igitur
 perjuri esse nolunt nuperi isti Superatten-
 dentes, suâ ipsorum sententiâ Episcopi esse
 baud quaquam possunt. Nam jure jurando
 adacti sunt; Non aliam doctrinam se pro-
 pugnaturos, ac promoturos, quam con-
 fessionem Augustanam. Artie. ulti. Solnen-
 si. In ea verò Confessione palam profitentur:
 Se in nullo fidei Articulo ab Ecclesia Ca-
 tholica dissentire: tantum paucos abu-
 sus omittant, qui novi sunt, & contra vo-
 luntatem Canonum, vitio temporum
 recepti: Confess. Aug. Artic. 21. initio.
 Cum igitur contra Nicenæ Synodi vetustissi-
 mos, ac Sacro-Sanctos Canones Superintenden-
 tes se nominari sentiant; nisi Augustanæ Con-
 fessionis, ac jurisjurandi vialatores haberí ve-
 lint, necesse est, falsè nominatos istos Superin-
 tendentes, ovina se veste Episcoporum imerit
 contegere, adeoq; nullas ab ipsis legitimas mi-
 nistrorum ordinationes fieri: nullum ex iis
 Sacramentis, quæ ordinationem requirunt, le-
 gitime

gitime administrari ab iis, quos initiant: Sed umbratilem, ac vanam esse, quæ ab iis fit, ab solutionem Eucharistiam &c. quæ, quam gravia misericordie plebeculae incomoda, animarumq; damna adferant, nemo est, qui non videt. Adeo, quod gravissimis, & ab omni humanitatis, ne dicam Christianitatis sensu alienissimis errorum portentis, populo proponendis, adstringit Solnense hoc conventiculum infelices Prædicantium animas. Artic. 7. Solnensi. Cum enim statuit, ordinandos omnes libro concordiæ subscribere, id demum sancit, quod in libro concordiæ disertim exprimitur: Damnandam esse doctrinam, quæ docet: Evangelium non esse tantummodo concionem de Gratia Dei, sed propriè esse Concionem de penitentia, arguentem, accusantem, damnantem peccata. Liber Concor. Epitom. Item docendum esse Passionem Christi, proponere iram Dei adversus peccata, ut cognoscamus, quanta Dominus in lege sua à nobis exigat, quorum tamen nihil nos præstare possumus &c. Artic. Controversor. Art. 5. Negat. Deinum: Damnandos esse, qui docent superesse in homine, capacitatem, aptitudinem, facultatem, industriam, aut Vires, quibus in rebus

rebus spiritualibus cooperari valeat , ad bonum aliquod. *Ibid. in affirmat. n. 8.*
Ibid. Art. 1. Negat. 6. Hæc aliq; errorum portenta , in hoc conciliabulo ex libro Concordiæ approbata , eù nimirùm spectant , ut apertum , ac patens hominibus ultrò in malum suentibus exitium accersatur. Si enim nihil ex divinæ legis præscripto agere possumus : si nec Capacitas quidem in nobis hæret , ut DEO moventi per gratiam , cooperemur : si Evangelium tantummodo gratiam denunciat , asperitatem pœnitentiæ , metum peccatorum longissimè removet : Quid adhuc Satagimus in sanctitate , & justitia ambulare ?

His accedit , quod gravissimo quoque usurpati juris alieni onere se prægravat hocce Conciliabulum , nam synodus abnuente Metropolitano indicere , visitationes Ecclesiarum in aliena diœcesi , honorumq; Ecclesiasticorum dispositionem in se derivare privata authoritate contra longissimi temporis præscriptionem , Canonumq; , ac legum Patriæ sanctas constitutiones , quid aliud est : quam rapere , ac sine ullo juris ordine , alienum jus sibi usurpare ?

Nulle certè Ungariæ leges , ne quidem perturbatæ Reipubl. temporibus lata , jus tribu-

unt novis Superattendentibus, vel censum Ca-
thedralicum adimendi, antiquaq; saeculorum
aliquot possessione Archi-Diaconos deturbandi:
vel causas forum Ecclesiasticum concernentes,
ad has Episcoporum larvas deducendi: vel
per viam appellationis presumptuosa ipso-
rum judicia non declinandi. Et tamen Sol-
nensis hæc Pseudo-Synodus, Prolog. Tri-
part. & Census Cathedralicos Archi Diaco-
nis, quorum antiquissima possessio, certissimas
origines habet, adjudicat, ac iuris Super-
attendentibus suis adjudicat: & Causas Ec-
clesiasticas eorum judicio committit: & pro-
vocationem ab ipsorum dijudicatione vetat.
Quæ omnia injustiæ plenissima, Divinis, ac
humanis Legibus, decretisq; Hungariæ adver-
santur, nec quidquam horum in publico Re-
gni conventu definitum. Et quamvis defini-
sum foret, ipsi tamen Legibus Hungariæ suf-
fragantibus, quid quid sacris Canonibus Ec-
clesiæ adversatur, invalidum, ac nullius fir-
mitatis esse debere dñoscitur.

Quæ cùm ita sint, Nos coram D E O, ac
mundo universo protestamur, iniquas has no-
vellæ coitionis sanctiones, libertatis, ac juris-
dictionis Ecclesiastice, animarūmq; exitio la-
tas, invalidas, injustas, ac nullius ponderis
esse

esse, & haberi debere: districteq;, ac sub pena excommunicationis inhibemus, ne vel ipsi falsè intitulati Superattendentes census Cathedraticos percipere, Ecclesias Diœcesis nostræ visitare, ordinationes Ministrorum facere, causas forum Ecclesiasticum concernentes dijudicare, ne dum appellationes prohibere præsumant. Inhibemus item, & sub anathematis vinculo vetamus, ne ullus censum Cathedraticum aliis, quam quibus ab antiquo pen-debatur, dare præsumat; nevè ad Pseudo Superattendentium dijunctionem, causam ullam fori Ecclesiastici deducat; ac nihilominus Reverendiss. in Christo Fratribus Episcopis Diœcesis nostræ Strigoniensis, nec non dilectis filiis præpositis, Abbatibus, Archi-Diaconis, Cæterisq; omnibus, ad quos hæc res spectare dignoscitur injungimus, ac mandamus, ne quidquam de jure suo in Ecclesias, in quas ab antiquo jus habuisse dignoscuntur, remittant; Census Cathedraticos exigant, ac suæ jurisdictioni subjectos, si qui forte illorum Causam Ecclesiasticam ad novitium aliquod tribunal deducant, ad forum spirituale evocatos, ac juris ordine convictos irremissibiliter puniant.

Cæterum volumus, ut hæc nostra protestatio, contradic̄io, inhibitio, ac præceptum,

quò facilius ad manus plurimorum pervenire possit typis excudatur; eadémq; fides excusis exemplaribus habeatur, ac si ipsæ Originales manu nostra subscriptæ, ac sigillo munitione exhiberentur. Datum Posonii in Aula nostra Episcopali die XVIII. Aprilis Annō M. DC. X.

Paragraphus II.

Celsissimus Princeps & Archi-Episcopus Strigon. GEORG. SCELEPCSÉNY. Solnæ Residentiam Patribus Soc. JESU fundat. Quibus ibidem Eminentissi: Cardinal. LEOPOL. à KOLLONITSH frustra renitente hæretico senatu de domo, in qua stabiliter residerent, providit.

Quia verò non solum typis vulgata, verum & pro suggestu enucleatè pronunciata, & Basilicarum valvis oppensa fuit hæc Illustrissimi Præfusilis contradic̄tio; bilem movit Prædicantribus adeò, ut plenam convitiis Apologiā protruserint. Repressit subinde illorum doctissima lucubratione Eminensissimus Cardinalis Pazmany audaciam, nihilque omisit, quod ad opprimendam hære-

hæresim gliscentem latius facere posset; nec passi sunt alii Apostolico Spiritu pleni Præfules suam industriam desiderari, in animarum lucra invigilabant, pariter, quotquot saluti proximorum quærendæ se devoverant, efficere tamen non poterant, ut Solna, viciniāq; ab erroribus Lutheranis repurgaretur, imò desæviente bellorum tempestate sub Martis clypeo securi res suas non mediocriter promovabant sectarii. Sæpè quidem pacatioribus rebus spes rediisse visa est fore, ut in pristinum Religio decus vindicetur, nihilominus iterū novo involutâ Hungariâ turbine optimi conatus conciderunt. Quibus medicina malis ne adhiberi posset, imposterum eò studia collimabant, ut posteaquam observâssent Societatem JESU quò Latius diffunderetur, eò magis Hæresim enervari, imminui sectatorum numerum, deniq; partes suas non parum laþefactari, Regno ejici avide desiderarent. Et verò, quod diu vota exercuerat, favente temporis illius opportunitate consecuti sunt, quò Töke lius sub finem sæculi lapsi Turcicis subnixus favoribus, ut popularium suorum

lucraretur animos, amplam invexerat de-
testandis molitionibus peccandi liberta-
tem. Tot calamitatibus annos complu-
res obrutam Hungariam piorum exora-
tus suspiriis respexit optimus DEus; & i
lætissimam illam orbi Christiano victori-
am Annō reparatæ salutis 1683. indulxit,
quā attritis Turcarum viribus, tumul-
tuantium quoque in Hungaria conatus
corruerunt. Qua occasione egregiè usi
Præsules Vigilantissimi post redditū men-
se Novembri Tyrnaviam Societatis; &
imprimis Metropolita Strigonensis Ge-
orgius Szelepsénius Vir omni genere lau-
dum ornatissimus in eo omnem solerti-
am collocabat, ut de veris Pastoribus,
Adjutoribúsq; discerpto Domini gregi
prospiceret in iis præcipue locis, in qui-
bus Hæresis magis se stabilire ab oculis
remota Præsulum videbatur; & postea-
quam alibi grandia suæ vigilantiæ statu-
isset monimenta, in Vallem pariter Tren-
chimensem Pastoralem extendit solicitu-
dinem, Solnámq; vel maximè adeò æsti-
matam, ut digna sit visa Lutheri asseclis,
quæ habendo conciliabulo deligeretur.

Oppor-

Opportunū autem accidit Deo ita dispo-
nente, quod Optimus hic Præsul Superi-
us nominatus in Dominio Strecsenensi
Rosinā, Poluvsie, & Porubkam, alias item
in Litaviensi jure Hypothecario posse-
siones habuerit, has omnes suprema vo-
luntate 1685. Residentiæ Societatis JEsu
Solnæ propediem erigendæ, & pagum
præterea Csáczá dictum transcripsit. A-
quievit sapientissimæ dispositioni piissi-
mus & ipse Imperator, ac Rex Apostoli-
cus Leopoldus Magnus, & ut executio-
ni celerius daretur, Leopoldum Kollo-
nithium, Jaurinensium tunc Præfulem,
integerrimæ in Principem fidei, & à Re-
ligionis Orthodoxæ studio celeberrimū
designavit. Duplicavit exequendi prom-
ptitudine beneficium Præsul, & pro ea
etiam, quâ Societatem JEsu complete-
batur, singulari benevolentia, in brevi eō
rem deduxit, ut Patres in dictorum lo-
corum possessionem per delectos ex In-
clyta Camera Posoniensi inducerentur.
Et quamvis nondum plenè depulsa tem-
pestate domi alienæ, præsertim, cùm pro-
priam non admitteret Hæreticorum odi-
um, securis agere non liceret novis ho-

spibus, nihilominus acriter contende-
 bat Præful tot animarum ingemiscens
 cladibus, ut quam primum Apostolici o-
 perarii persanaturi inficta Gregi Domi-
 nico vulnera advolarent. Non recusa-
 vit pro gloria DEI, & periclitantiū salute
 animarum Laborare, patiq; cupidissima
 semper Societas JEsu occasionem, dedu-
 eta è Tyrnaviensi Collegio Colonia annō
 eodem mense Julio Solnæ apparuit, jam
 tunc male sibi ominante Hæresi non igna-
 ra à recentibus his incolis, fraudibus suis,
 & nefariis moliminibus multū moræ in-
 jiciendum Sors prima obtigit R. P. Ge-
 orgio Gullik, ut præfisset, Patri Joanni
 Garaiszky, ut juvaret, deducente R. Patre
 Ladislao Permaj, qui tum Trenchiniensi-
 bus sociis moderabatur. Qvum verò
 expellere non possent Patres, illud age-
 bant Luthericolæ, ut sponte abire coge-
 rentur; nam non erat, qui de hospitio
 commodare vellet, donec, qui corda ho-
 minum habet in potestate, movisset uni-
 us è civibus viduæ mulieris hæreticum
 animum, quæ Religiosis Advenis-
 Domus partem cubiculo uno, & came-
 rula definitā indulxit utiolim mulier suna-
 mitis Elisæo 4. Reg. 4. Ve-

Verum nec isthic quietis diu esse licuit;
 vix enim triduum commoratis nuciatur
 reliquias eorum, qui superioribus annis
 tumultum conciverant, propediem ad-
 volaturas; cedendum proinde tantisper
 temporis rati Patres, dum serenitas redi-
 ret, ex adversa vagi rippa in Arce Bud-
 tin considerunt, in qua latibulum præ-
 buit Magnificus Dominus Gasparus Szű-
 nyogh securum illud quidem ab hosti-
 bus, sed plenum calamitatibus, quas tem-
 poris iniquitas large ministrabat. Duo
 interea solatio erant Viris Apostolicis;
 alterum: quod sinceram Catholicorum
 eodem utentium perfugiō benevolentia-
 am experientur olim profuturam Dei
 Gloriæ promovendæ, præterea, quod
 in dies lætiora de pacanda patria vietrici-
 bus Leopoldi Magni armis adferrentur.
 Factum est Menie Novembri, quod ar-
 dentibus Votis desiderabatur; resedit
 tempestas, rediere post 4. Mensium exi-
 lium Solnam Patres ad suum ergastulum,
 & quia adversa jam diutius utebatur va-
 letudine, tot incommodis scilicet fractus
 Pater Georgius Gullik, R. P. Georgium
 Jánkovich successorem accepit. Singu-

Iari benevolentia complexus est reduces Reverendiss. Dñus Loci tunc Parochus Stephanus Kostka, cuius, ut responde-
rent de se conceptæ expectationi Patres,
in administrandis Sacramentis, habendis
ad populum sacris dictionibus egregiam
locârunt operam, nec cessabant interea
privatis, publicisq; instructionibus tene-
ram juventutem erudire, impellere Se-
niores adhortationibus, in quibus dilu-
cidè veritatem Romanæ Ecclesiæ evin-
cendo, ad deserendos errores hortaban-
tur, in omnem occasionem promovendi
salutem Solnenium sollicitè vigiles. Do-
lebant hæc studia Primariis Lutheranis,
& præsertim Prædicanti in suburbanis
ædibus virus spargenti, & ne depulsâ fal-
laciarum suarum nocte in lucem Evange-
licam populus aspirare inciperet, odium
in Jesuitas instillare aggressus, eò rem
sensim deduxit, ut vix triceni, qui dicen-
tibus aures præberent Patribus numera-
rentur. Acatholicis avidè ad suum Ra-
bulam accurrentibus. Ne irriti Patrum
labores imposterum adversariorum fra-
dibus redderentur, Jaurinensium Præsul
novus opidi Dominus effecit. Vix enim
adivit

adivit Dominium, primas inter curas, plenipotentiario, ut vocant, suo Generoso Dño Casparo Sircich commendavit, ut Prædicantem submovere nitetur, & de habitatione comodiori Patribus prospiceret. Primùm brevi effecit. Prædicans enim pelli suæ timens, vix personis Natalis Domini solenniis stubnā ab aquis calidis notam in tractu Turocziensi, se subduxit in Comitatu Equitum aliquot Solnensium. Primis proinde latus successibus Præsul Eminentissimus cùm aliam domum vendituros vix speraret Cives, ut Domum Dominalem in commodiorem Patrum habitacionem eō pretiò cederent, quô ipsi possidebant,urgebat. At hæretici primùm tergiversari, sumptus liberaliter in Patronos suorum consiliorum profunde re demū ubi expugnaturos se invictum Præsulis animum deiperassent, jurè se obstrictos clamant ob interpositam à familia Ezterhazi tontradictionem, ne domus hæc ad alium Possessorem transiret. Sic eluerunt in præsens Eminentissimi conatum, & imposterum quoque elufuros se sperabant, dum Cardinalis

paſta acceptāq; certā pecuniæ summā Celsissimo Principi Paulo Eszterhazi hæreditario in Streczen, dominium & jus, interim male cedit. Opposuit tamen ſpeſ conceptæ Eminentissimus obicem, duas ſiquidem adjecit conditiones, ut nimirum Celsissimus Solnenses ad ovile Christi laboraret reducere, & Patribus Societatis domum dominalē dictam con ferret. Aſſensit perlibenter Palatinus, & ipſe Catholicæ Fidei studiosiſſimus, daturum ſe ſedulam operam, ut à pestilenti Lutheri Secta Solna repurgaretur; de domo reſpondit: facturum ſe, ut proximè propriam incolere Patres poſſint. Ste tit pollicitis, & paulo post ſignificavit Magistratui, ut venalem Domum quærent, in quam depositō justō pretiō Patribus immigrare liceret. Frende bat oculte acceptō mandatō antefignani hæretici, at quoniam Dominum ſuum & Authoritate apud ſuos in Patria, & gratiā apud Regem valere plurimū nove rānt, tam ſeriæ voluntati iteratæq; tergi versari non auſi, Georgii Hanzelii do mum emendam proponunt. Deliguntur à Celsissimo, qui aſtimationem faci ant,

ant, statuitur pretium Rhenenses bis milles. Id licet opinione majus videretur Patribus inopia pressis numerare, ne tamen recusando arma subministrarent adversariis, stipulata manu pro more prædictâ summâ paciscuntur, spe in DEum suorum servorum curam gerentem erexit. Interea dum solitis laboreibus animùm intendunt, Eminentissimus Cardinalis, nunquam sinè singulari reverentia à nobis nominandus, censum totum ad se pertinente ab oppidanis pendendum Reverēdo Patri Martino Szentivani transcriptis, liberè expendendum, & quod voluntas pia celeriorem haberet exitum, Plenipotentiario suo Domino Georgio Stranai negotium dedit. Libet hic litteras pro immortali apud Posteros memoria, gratique animi testificatione adjungere, Viennâ 12. Octobris octuagesimô sextô supra millesimû sexcentesimû Añô datas.

GENEROSE DOMINE DOMINE observandissime

Significo hisce Generosæ Dominationi Vestræ, quod ego totum censum, quem mihi præstare tenebatur Civitas Solnensis, pro toto illo

in illtempore, quo eam possedi, cesserim, RR.
 Patribus Societatis JESU juxta dispositionem
 Reverendi Patris Martini Szentivany. Ro-
 gatam proinde habeo Generosam Dominatio-
 nem Vestram, quatenus onus dictum censum
 exigendi, in se suscipere velit, dando Gene-
 rosae Dominationi Vestrae plenariam potesta-
 tem hoc negotium exequendi, atq; censum il-
 lum integre exigendi, quem ubi Generosa Do-
 minatio Vestra perceperit, iisdem R̄ndis Patri-
 bus juxta prædictam dispositionem administra-
 re dignabitur, & consignare tenebitur.

Generosæ Dominationis Vestræ,

Amicus, & benevolus

Leopol. Cardinalis à Collonith.

Donatum ab Eminentissimo censum
 accepta Superiorum suorum facultate,
 ut iis, à quibus solutus est, prodesset, ita
 partitus est R̄ndus Pater Szentivanyi, ut
 floreni 650. Residentiæ Solnensi cederent,
 reliqui centum, & quinquaginta Typo-
 graphiæ Tyrnaviensi, in qua libelli extir-
 pandis hæresibus idonei procudi solent.
 Libet hic iterum ad Rever. Patrem Ge-
 orgium Jankovics inscriptas adnecltere.

R. P. Martini Szent-Jvani.
REVE-

REVERENDE IN CHRISTO PATER.

P. C.

Agit Reverentia *Vestra*, cum Generoso Domino Georgio Stranai, ut proximo vere mittat mihi rates afferum, & scandalorum tanti valoris, pro quibus Reverentia *Vestra* postea eidem Domino refundat 100. illos imperiales, residuos vero remanentes à fl. 800. cedo Residentiae pro comparatione domūs. Video enim Residentiam illam vel maximè pecuniâ indigere, contentus erò illis imperialibus. Tyrnaviae die 26. Januarii 1787.

Aucti tam opportunô subsidiô Patres, quia domi res angustæ erant, residuum, ad complendam bis mille Rhenensium summam mutuò acceperunt, & 5ta Aprilis præsente Magistratu prædicta Georgii Hanzeli domus comparata à solita adhibita solennitate. Exolutus est vigesimâ proinde ejusdem veteri hospitio reliquo adiêre Patres possessionem, Phaséq; factum est. Comoditas novæ Residentiae animos, stimulosq; addidit ad oves Christi sanguinè pretiosò redemptas, sed malis haetenus usas pascuis in ovile verum reducendas. Respexit Supremus de-

Multi enim ex hæreticis sæpè convicti rationibus, clarisq; scripturæ textibus, nutare solent, sed id solum & pessimum: *Quid dicent homines, dum adorant, ægerrimè agnitam licet veritatem confiteri in animum inducunt.* Vinculis iisdem constrictus tenebatur Tamasius.

Sed quod Longius differebat, eò majoribus stimulis conscientiæ perurgebatur, quibus ferendis impar, ut tandem salutarem quietem animi indipisceretur, aperit uni è Patribus mentis suæ arcana, petit malo medicinam; suboluit in vestigio perito animarum Medico, quid haec tenus à sanitate consequenda retraxerit, & nè iterum curationem respectus inanis hominum impediret, Tyrnaviam ad Collegium nemine ex notis conscio, quid molirerur, revelatum ablegat, ubi accuratiùs instructus, ejuratô primùm Lutherô, veris pœnitentiæ Lachrymis, expiatis ante aëtæ vitæ nævis, mensæ Eucharisticæ accubuit, atq; continuò malaciæ redditus est, eäsq; Vires sibi subdi insuper tensit, ut quemadmodum olim ex Saulo Paulus, factus est Prædicator veritatis, Non enim se ipsū fatis

de Cœlo Pastor sollicitos suorum servorum labores; reductus est feliciter è pri-mariis unus Nicolaus Tamasi; cuius ad Ecclesiam accessiō ed majorem attulit Catholicis lætitiam, quò plus exemplum illius ad permovendos alios valiturum erat. Adoleverat in hæresi Vir, quem nominavimus, Lutheri errores, si quis alius intimè penetraverat, tuebatur acer-rimè; hinc aestimatio apud suos, & ve-lut ad oraculum accursus. Ut primū Patres de veritate Fidei Catholicæ disse-rentes audivit, tetigit illico cor spiritus Sancti gratiâ, & sensim igne suæ chari-tatis emollivit, ut jam tunc prospiceret evanidam fuisse pacē conscientiæ, quam à Lutheri doctrina queritabat. Unde multa mente volvere, Divinos codices pervolutare, seftæ suæ inania perspicere fundamenta, clarè tandem (nullis enim lumen suum Divina bonitas, denegat, qui sincerè veritatem fidei inquirunt) in-telligere, aëtū esse de salute sua, nisi ad Ec-clesiam Romano Catholicam revertere-tur. Et revertisset extemplò, nisi re-spectus humanus moram injecisset, quod plerumq; honoratioribus evenire solet:

Mul-

satis erat à morbis animæ liberare, aliis, ut Dux esset, scripsit dilucide rationes, typisq; excusas omnibus legendas proposuit, quibus adductus est, ne medelam alibi, quam in Ecclesia Catholica quæreret. Quô pactô palam fecit vanos esse timores, *quid dicent homines*, si quis seriò salutem suam diligat. Dum enim quēpiā apostolicæ fidei doctrinā complecti cogitantem advertunt, nihil non movent, ut detereant. Postquam tamen ad Orthodoxā fidem conversū audiunt velut fumus repente omnes conatus dissipantur, & tranquillitas utrisque succedit. Sed jam ad Patrum labores alios regrediamur.

Paragraphus III.

P. Superiori, & ejus Successoribus resignatur Canonice administratiō Parochiæ Solnensis. Quorum Apostolicis laboribus accidente Celsissimi Principis PAULI ESZTERHAZI R. U. Palatini efficaci assistentia tota demum Solna ad Fidem Catholicam accessit.

Annus agebatur 1688. & Reverendiss. Dominus Stephanus Kostka, cui Patres

Patres operam locaverant annis tribus ferè & dimidiō in Apostolicis muniis publicè, privatimq; adimplendis, Venerabili Canonicorum Nitriensium Collegio insertus est, Egit statim Eminentissimus Cardinalis, & Celsissimus Princeps, ut non alium, quām futuros pro tempore Residentiæ Soc. JESU Superiores, successorem acciperet, in eandem concessit sententiam Nitriensium Antistes Petrus Korompaj, idēmq; Regni Cancellarius, & postquam ad sollicitas preces assensum obtinuissest, Societati JESU Canonice Parochiam Solnensem tradidit, quæ legitima collatio, ut ad omnium notitiam perveniret, receptoq; fieret ordine, adfuit Reverendissimus Dñus Georgius Svach Parochus Trenchiniensis, ejusdēmque Comitatīs Archi-Diaconus, & præsentibus D. Nicolao Janacs V. Judice, D. Melko, D. Notario oppidi privilegiati, Senatoribus, magna deniq; Civium frequentia, R. P. Georgium Jankovich ē Soc. JFSU Residentiæ Superiorē, qui-que eidem subrogabuntur imposterū, in loci Parochum soleñiter installavit, ad extreūm in signum adeptæ potesta-

tis Templi claves consignavit. Spirituali solatio, quod ex Parochiæ administratione, subeundisq; pro Gloria DEI, animarumque salute laboribus, sperabant, paulò post temporale accessit. Habebant jam Domum Patres, ut dictum est Georgii Hanzelii, sed civilibus subjectam oneribus, hinc usi occasione adversarii variis exactioribus impetebant novos hospites, nec poterant existimari mutaturi mentem, nisi, ut gravioribus affiant detrimentis. Per supplicem igitur libellum Celsissimum Principem conveniunt; multis non erat opus precibus apud Heroëm illum, ardentibus Votis salutem Solnenium suspirantem; satis erat cognovisse, quid præstari possit Veris in Vinea Domini Operariis, ut liberius muneri suo invigilare valeant. Scripsit non multò post Celsissimus Solnam, & Dominum à Residentia emptam ab omnibus Civilibus oneribus imunem Annō 1689. declaravit. Soluti curis tam importunis totos se imposterum Patres spiritualibus tradiderunt lucris. Fervebant jam omnia, quibus Societas juxta suum Institutum salutem promovere proximorum

rum solet, solæ deerant scholæ, ideo ab
 utroq; sacro & profano ordine avidè ex-
 petebantur. Patres licet rem æquissi-
 mam peti faterentur, bene gnari nihil a-
 ptius & efficacius ad instillandam teneris
 mentibus pietatem scholarum frequenta-
 tione, in quibus dum primis pingitur
 scientiarum rudimentis, sensim etiam
 probos combibit mores tenera juventus,
 futura olim aliis ad Christianā vitā inci-
 tamento; multa tamen succurrebant, quæ
 disuadere poterant: imprimis vicinorum
 imminutum iri Gymnasiorum frequen-
 tiā, vix habituros hospitium, viven-
 dique, tenuioris præsertim fortunæ com-
 moditatē apud Cives altè Hæresi īmer-
 sos, quæ limis oculis aspectura putabatur
 scholas sceleratis progressibus multū
 nocituras. Hæc impedimenta contrà di-
 luebant alii, non defectura vivendi me-
 dia, vicinæ nobilitatis filiis idoneum
 scholis erigendis numerū conjecturi;
 nec Hæreticos tam obstinatos esse, ut spē
 lucri Hæresi non præponerent, imò ipsos
 adversarios, ne impensas sibi accumu-
 lent alio mittendi, occasione usuros,
 denique DEUM bonos conatus suâ gratiâ

promotorum asserebant. Dilata sunt
 tantisper vota, non rejecta; dum iterum
 iterumque solicite urgerent, assense-
 runt Patres; petitus est à Præposito Pro-
 vinciali Religiosus Magister, missusq; est
 primus Martinus Renner, prima Gram-
 maticæ Elementa traditurus. Facturus
 erat initium statim post 28 Aprilis Anni
 1691 quo die Solnam tenuit, si loci oppor-
 tunitas adfuisset. Indictus est igitur dies
 14 Maji aptatâ jam scholâ, instructaq;
 necessaria suppellectile. Adfuerunt bo-
 nô numerô, & primo ingressu 75. ado-
 lescentes se imbuendos stiterunt, sed nec
 ipsis Hæreticis ingratæ scholæ futuræ jam
 apparebant, siquidem solum vertere Di-
 dascalos juventutis eorum oportebat. A
 DEO sumptum initium, cuius major
 gloria unicè præ oculis erat Sanctissimo
 Parenti Societatis Ignatio, dum Gymna-
 sia toto orbe aperiret; ducti sunt novelli
 Grammatices Tyrones in templū Paro-
 chiale, ubi dum incruentum Missæ Sa-
 crificium perageretur Spiritus divinissi-
 mi lumen implorabant. Deducti subin-
 de pulchro ordine à futuro Moderatore
 ad scholam probitate non minùs, quam

teris excolendi. Durat etiamnum, patetque Gymnasium cum magno vicinæ Nobilitatis solatio, nec deessent singularia pietatis exempla relatu dignissima ab Adolescentibus edita, nisi ad alia properandum esset.

Ineunte anno 1692 respondit fructus suscepitis laboribus; in dies majoribus incrementis surgebat Religio, dolebat tam felices progressus primoribus hæreticis, qui sensim se deserí ægrè ferebant: neque existimabat se rebus suis consulturos nisi Ministellū sectæ suæ clam advocarent, qui Populum ab audiendis publicis concionibus, privatisq; congressibus averteret. Igitur invitant vicinum Prædicantem Keveri, adest ille 12 mensis Augusti spe lucri excitatus (ut nempè lucrosa est hujuscemodi farinæ hominibus impietas) significatur statim secretissimis nuntiis in suburbium adventus plauditur occultè, & ut oculos Catholicorū fallerent, concubia nocte (nam juxta Christi effatum, qui malè agit, odit lumen) alio quasi ituri diversis semitis adrepunt, advolaturi, nisi rea conscientia metum incuteret. Omnia jam in tu-

to esse gratulabantur, præparatis nece-
sariis Præstigiator Keverius, ad inchoan-
das suæ sectæ functiones se accingebat ter-
tiâ ferè noctis vigiliâ. Sub odoratus est
unus aliquis clandestinū Conventiculū,
defertur ad Magistratum; accurrit Gene-
rosus Dominus Judex Andreas Bivolini
recenti, & ipse, eaque exemplari ad fidem
orthodoxam accessione clarus cum Do-
mino Notario Nicolao Tamasi fida stipati
manu, & prius in conspectum venerunt,
quam congregatus Populus se proditum
adverteret. Hærebant stupore, & timore
defixi omnes, neque quid fieri oporteret
occurrebat. Prædicās pessimè sibi conisci-
us dum fugam meditatur, capitur fide-
li Custodiæ in Domo Palatinali manci-
pandus: reliqua multitudo, qua data
porta dilapsa est. Ubi diluxit, antesi-
gnani nihil non agebant, quo in liberta-
tem affererent Captivum sibi dilectum,
induxerunt Magnificam Dominam Zay-
anam, ut vadimonium scripto offerret,
sed pro sua hæreticis nimium familiari
superbia discerpsit literas. Ergo, ut
molestias lenirent, frequentes invi-
sunt ad Keverium, solabuntur,

rati-

rationibus, & argumentis, non è sa-
 cris literis, futura in Cœli mercede, a-
 liisque, à quibus Catholici ad ferendum
 res adversas solatia petunt; sed à lautis cu-
 linis, & cellis vinariis, è quibus corasis
 cibis, potuq; largiter guttur simul pro-
 luebant, & ventrem farciebant. Co-
 messionem clausit 16 dies Augusti, quâ
 sub tertiam matutinam Keverius Mini-
 ster tenebrarum, ad tenebras Létavi-
 ensis Arcis ab ingresso pridie sub vesperū
 quaternione militum abductus est. Cō-
 parent iterum patinarum, & lagenarum
 amici, ignari quid acciderit, sed ubi in-
 expectatus innotuisset casus, dolebant
 prima hæreticorum capita jugulata
 spem diutius ex alienis loculis convivan-
 di, quos non ignorant patere sibi, dum
 facile simplicioribus imponunt impen-
 fas hujusmodi ad conservandum sectæ
 honorem necessarias esse. Castigata in
 præsens audacia majora tentavit, nam ne
 amplius clancularios congressus habere
 cogerentur hæretici, novam telam te-
 chnarum ordiuntur: Aggrediuntur im-
 primis Magistratum consuetis artibus
 oppugnare, tum Celsissimum Principē

ed adducere fatagebant , ut liceret Prædicanti in suburbio hospitari , & lutheri perversa dogmata palam explanare. In tempore egregium Magnifici Domini Pinnei religionis veræ studium evertit pestilentes cōnatus. Erat Dominus hic olim Plenipotentiarius Eminentissimi Cardinalis à Colonich , simul ac quid ageretur rescivit , conscius conditionū adjectarum dum Dominium transferretur , prima occasione ad Eminentissimum dat literas , edocet singillatim , quid hæretici moliantur , præterea quō pactō ipse haec tenus obviaverit consiliis pravis , significat. Cognitō periculō nihil cunctatus Præful , quid in rem Catholicam emolumenti contulerit , ex annexis licet intelligere. Viennâ 23. Martii Anno 1689. Ad prædictum suum Plenipotentiarium exaratis-

MAGNIFICE, ac PERILLUSTRIS
Domine

Quod concerint Principem Palatinum , ego eundem ipsem et informavi non tantum ex parte ipsius , sed quoque ex parte mea.
Op-

Optime enim factum est quod fecit. Solnenses non possunt amplius Prædicantem intertere-
nere, multo minus aliquod exercitium habere, imo illi punientur cum Prædicante. Ego cum
bac conditione Principi Palatino illam possessi-
onem, & illum locum permisi, quatenus
Catholicam religionem augere, & Acatholicos
exterminare posset. Si autem videro, quod ille
suis promissis, seu conditionibus satisfacere
nolle, ego iterum Solnam ad manus meas reci-
pere satagam, siquidem necdum sum exolutus
& terminus solutionis præteriit. In quibus
servire possum Dominationi Vestræ, non in-
termittam servire, similiter Dominatio Vesta
in simili necessitate à me requisita non tantum
pro complemento fiat, sed potius sit ardua, &
in serviendo suam dexteritatem ostendat. Hac-
tenus Literæ.

Admonitus ab Eminentissimo Celsis.
simus Princeps Palatinus, dedit binas
dignas sè Epistolas: alteras Kis-Marto-
niō, 25 Junii 1689. ad R. P. Georgium
Kossetich Parochum, & Superiorem Re-
sidentiæ Solnensis, alteras ad Magistra-
tum Viennâ 28. Julii anno eodem; prio-
res sic habent.

REVERENDE IN CHRISTO PATER.

Quod concernit tam Ecclesiæ Solnensis repositas suppellectiles, quām verò negotium eorum, qui Conciones audire, & templum frequentare nolunt, intelleximus, quo in passu demandavimus Magistratui Solnensi, quantum Ecclesiæ res, seu suppellectiles expondere, revidere, & eventilare, illos verò, qui à Sacris se absentant, & Ecclesiam non frequentant severè punire nō intermittent.

AD MAGISTRATUM ANNO, ET DIE
ut superius positum est, quas dedit
idem Celsissimus, sequentes
erant:

Displicenter intelleximus plurimos incolarum Ecclesiam Vestram frequentare nolentes, alio ad exercitia Prædicantium pergere solere, quod nos sicut admittere, & tolerare nolumus, ita obicem etiam in his mediò ipsis minus gratò ponere non intermitteremus, quinimò ut pœnam contra tales, uti & à Concionibus Parochi Vestri se se absentantes statutam desumere non intermittatis, serid injungimus Vobis, nisi ipsemet Magistratus eandem pœnam multiplicatam subire velit. Hucusque mandatum Celsissimi.

An-

Antequam ad ulteriorem rei gestæ
 seriem progrediamur ; Libet hic
 memorare, quod paetô à Solnensibus cau-
 letis, sicuti hic loci certè celeberrimis
 Annô 1693. 3tia Augusti Juventus præ-
 fertim studiosa exitium propulsârit. Ut
 olim sub CAROLO, & LUDOVICO
 Hungariæ Regibus sæculô decimô quar-
 tô in totam Hungariam , vicinasque
 Provincias, ita anno supradicto Solnen-
 se in territorium Locustarum multitudo
 diffusa in caules, & pannicum grassari
 cæperat. Indoluere tantæ stragi Cives,
 salutareque solicitude dolori mixta sug-
 gessit consilium , ut subjungam : Con-
 stitutô die Cives per Capitaneum, Juvē-
 tus per moderatorem suum quid factô
 opus admonetur. Horâ primâ à me-
 ridie majori campana, & scholasticâ si-
 gnum datur, Advolant undique fre-
 quentes pelvibus cupreis, crepitaculis ra-
 mis, nolulis, tympanis instructi, & quid
 quid in oppido ferè sonorum erat adfer-
 tur. Studiosi per Cæmeterii portam
 ordine solito procedebant reliqua mul-
 titudo turmatim sequebatur , omnes ad
 hostem ab agris fugandum, aut mactan-
 dum

dum egregiè comparati, ubi ad cauleta
ventum, explicatur longa acies, clas-
sicum insonat, datur pugnæ initium,
repente aër totus clamore, & tinnitu cō-
pletur, ad primū assultū perterritæ locu-
stæ cōvolant, irruitur toto conatu in ho-
stē ramis, baculis, humi prosternunt, re-
liqua pestis celeri volatu stragi se tubdu-
xit. Protritis, profligatisque locustis vi-
ctoriâ potiti Adolescentes ovantes Lyta-
nias de Sanctissimo Nomine JESU con-
cinvrunt, secutus populus inter lau-
des divinas remigravit gaudens è voto
cessisse, quod non sperabatur, Dominus
Judex Oppidi victores præmiis hono-
ravit. Felicem hunc successum non mi-
retur Lector à nobis tam copiosè refer-
ri, licet enim minutulus hostis videa-
tur, superioribus temporibus tamen
corrosis frugibus in vastissima etiam Re-
gna gravem invexit famem, nec tamen
legimus occurrisse consilium, quô pro-
teratur. Jam ad priora redeamus.

Commoniti à Celsissimo Solnenſes, spe
introducendi Prædicantem excussi, non
nihil conquievile videbantur: malaciā
usi Patres Apostolica urgebant studia.

Et

Et quoniam à Concionibus multos occupationes, infirmitates, carceres excusabant audiendis, sed neque materia publice singulorum genio ac necessitati accommodata tractari poterat, multa enim interdum non satis à rudioribus intelligebantur, privatis alloquiis suplebant, in quibus ex Cathedra dicta refrigerabant in memoriam, illustrabant, solvebant difficultates. fraudes retegebant. Respondebat industriæ fructus in iis reducendis, quos simplicitas in errorem abduxerat, at quos annosior malitia ad audienda cœlestia dictamina surdos fecerat, rejiciebant pios monitores, ne valedicere libertati agendi, & lucris(ut quæstuosa est nempe primis Heterodoxorum Capitibus Hæresis) non infrequentibus cogantur. Et quia publicum sectæ suæ exercitium amplius petere non audebant, aliquid saltem in rem suam valitrum impetrare proposuerunt. Obtestantur Libello suppli ci Celsissimum, qui nihil subesse ratus, vel benevolentia hâc suâ fortè saniora ut cogitent ratus persuadendos, de introducendis post partum ad templum ri-

tu.

tu solito mulieribus; quod petebant, indulxit. Abusi sunt favore, quō mitescere debebant. Mox enim liberius obloqui, minūs recte interpretari, sapienter jam constituta, imò passim convellere ausi sunt. Latius ne serpat malum occurrit tempestivè Magnificus D. Pinnei, edocet candidè quid fiat, quid fieri oporteat, item quid timendum. Doluit Celsissimo Principi tam palmaris temeritas, & opprimendum in scintilla pestilens incendium consultissimè existimans, quid fieri velit, prescribit ut sequitur.

Ex Relatione Magnifici Domini Baronis Pinnei Plenipotentiarii nostri intellectimus: qualiter nonnulli Solnenses certo indulto nostro in pucto Introductionis obtento à priori Devotionis Zelo deflectunt. Cùm tamen nos omnia in reliquo statuta per Dominum Baronem proposita excepto pucto Introductionis iteratò confirmaverimus.

Quare eatenus jam mandavimus prætracto Domino Plenipotentiario nostro, ut omnino secundùm prædicta statuta ad continuandum cultum Divinum eosdem Solnenses adigat, ipsis quoque Solnensibus mandamus,

ut omnino à Præfato Plenipotentiario nostro
tam occasione Religionis, quam etiam aliorum
occurrentium, dependentiam quid eatenus
mandaverit, Habeant. Hæreticum, & jam
modernum Capitaneum degradent, & alterum
Catholicum per eundem Plenipotentiarium no-
strum Candidatum in officium Capitaneatus
installent. Speramus itaque, quod in cultu
Divino ammodo imposterū diligentiores futuri
sint. Secus præscripsimus etiam ipsi, quod,
qui causa principalior in tali capitositate in-
ventus fuerit, ad exemplum aliorum severissi-
mè contra talem animadvertemus.

Posonio 12 Julii 1699.

Ad Servitia paratus
PAULUS ESZTERHAZY

Seri-

Series Punctorum per Senatum, totamque Communilitatem Oppidi Nostri Solna sub poena fl. Rhen. centum obseruandorum.

Primo. Diebus Festis, & Dominicis sacro diligenter, non impediti intersint secus, deprehensi punientur.

Secundo. Nulli Hæretico liceat ulla bona Solnæ habere sub eorum amissione, & si quæ haberentur à dato promulgationis horum punctorum intraquindenam cadent ad Fiscum.

Tertio. Nullus Hæreticus in Civem, vel Inquiline admittatur.

Quarto. Nullus ullum opificium, vel Quæstum qualemcumque Hæreticus audeat, vel possit Solnæ exercere.

Quinto. Nullus Hæreticus Bipliopolarum Libros Hæreticos nundinis palam, vel occultè vendere sub poena confisca-tionis audeat.

Sexto. Nullus opificium Hæreticus possit Solnæ discere, vel servus Hæreticus, aut serva servire.

Septimo. Nullus audeat Solnensis ingratiam

tiam Linguæ alicujus addiscendæ, vel mercaturæ , aut scientiæ alicujus ad Hæretica Loca , seu Civitates, seu scho-
las mittere filios, vel filias.

Octavd. Cætus opificum Vexilla sua
habeant, & in Festo Sanctissimi Corpo-
ris Christi specialiter interesse processi-
oni teneantur.

CÆterum nè de esset, qui urgeat, &
ad posterorum memoriam melius
perveniant sapientissimè decreta, voluit
Providus Princeps in Archivo Templi
Parochialis exemplar ritè descriptum, &
recognitum exstare. Id ipsum ex Litteris
ad R. P. Georgium Koffetich exaratis
22 Junii 1700, uberiùs patebit.

REVERENDE IN CHRISTO PATER.

Puncta submissa solenniter transmisi-
mus Magistratui, comittētes eidem,
quatenus sub pœna fl. Centū obseruentur
quorum quidem par Admodum R. P. V.
presentibus inclusum suppeditamus, cu-
pientes, hoc quoque par in Archivo Ec-
clesiæ diligenter conserverur.

D

Tam

Fam efficacibus circumscripta Limi-
tibus Hæresis licet Caput erigere,
suoque vivere arbitratu nequiret, nihil o-
minus in suis delitescens tenebris adeò
obduraverat nonnullorum pectora, ut sa-
lutaria penitus consilia aversari perge-
rent, quorum ut aliquando inclinaret
animos, quid decreverit coactus severi-
ora aripere, ex adjectis colligit Lector Lo-
ci Parocho inscriptis Posonio 5. 9bris.

1700.

Locutus est mecum D. Stephanus
Hrabovsky, quare demandavi tam
prædicto Domino quà V. Plenipotenti-
ario, quàm & Provisor Solnensi, ut om-
nes Lutherani cocturam cremati, & Ce-
revisiæ exercere severè inhibeantur, &
ab usu hujus beneficij amoveantur, do-
nec ad veram Orthodoxam fidem con-
versi fuerint. Scripsi præterea Domino
V. Colonello ibidem quartirizanti, qua-
tenus milites in dislocatione, & quarti-
rizatione dispositioni provisoris mei Sol-
nensis se acomodēt. Ego quid quid po-
tuero pro conversione hæreticorum fa-
cere tam in bonis meis, quàm alibi lu-
bens efficiam. V. P. A. Rñda. nihilominus
ha-

habeat correspondentiam cum Domino Comite Szunyogh, & D. Luzinsky, quatenus suæ DD. quoque in vicinitate familia efficiant. Puncta transmissa comisi meo Secretario, ut confirmentur.

Ad Inclytæ Legionis Com-
mersianæ Pro-Tribunum dedit al-
teras eodem Annō Princeps Pa.
latinus hujus Tenoris :

ILLUSTRISSIME DOMINE MIHI OB-
servandissime.

Salutem, servitorumque meorum commendationem. *Videlicibus suæ Smæ Majestatis armis consecuta jam alma Pace nihil magis in votis habeo, quam ut præprimis vera Religio Catholica antehac jam ferè in Regno Hungariæ exulans, & suppressa crescat. Quem in finem in bonis meis Solnensibus denunciaveram, & proponi curaveram, nisi quis ipsorum intra temporis spatiū per me eisdem assignatum sponte, & benevolè Fidem Romano Catholica amplexus, & conversus fuerit in pnam quarterium militare soli ipsi Lutherani tolerare, & omnes Catholici ab hoc quarteriorum onere liberi esse debebunt.* **Quam piam**

intentionem, & absolutam voluntatem, siquidem omnino iidem Solnenses nonnulli subditi nostri Lutherani elusissent, & ad præsens usque fidem Catholicam amplecti omisissent; Ideo Illusterrimam Dominationem Vestram officiosè requirere volui: non gravetur militibus in prædicto oppido Nostro Solna quartirisanti-bus eos dare ordines, quatenus in illis Domibus, quæ per Provisorem nostrum Solnensem monstrabuntur, & assignabuntur, quarterium suum ponere, per eosdemque hospites suos etiam si parùm lautius, non tamen excessivè interteneri se curare non intermittant, donec nimirum (si medio tempore videlicet hospes conversus fuerit) per Provisorem nostrum aliud quarterium eisdem Militibus assignatum fuerit. Denique dicti Officialis nostri dispositioni se se in omnibus accommodare iidem milites velint. Super quo dictus Provisor noster expressos à me jam ordines habet. In reliquo Illusterrimam Dominationem Vestram diu felicē valere cupio. Datum Posonii die 5ta Novembris 1700.

Illusterrimæ Dominationis Vestræ.

Ad serviendum paratus
PAULUS ESZTERHAZY.
Vix

VIx aliquod fluxerunt dies, qvum iterum Dominus hic imortali dignus laude salutis subditorum suorum amantissimus alias dedit ad R. P. Superiorē & Parochum loci Georgium Kosssetich ex Lakmpach II. ejusdem signatas.

Intelligentes hactenus ad conversionem Lutheranorum Solnensium aplicata mitiora remedia ellusa esse, hoc ipsum intelligo & ex D. Stephani Hrabovsky literis, cui sicut R. P. V. meum prescribo sensum. Pro hic & nunc in hoc negotio meliorem modalitatem non dari: quam ut omnes Catholici hospites ab omni onere quarteriorum liberi pronuncientur, milesque Quarterisandus, & intertenendus ad Lutheranos hospites ponatur, & tamdiu ibidem servetur, donec hospes schædam ab A. R. P. V. non tulerit super conversione testimonialem, sicq; statim ex tali miles amoveatur, & apud alium Lutheranum duplicetur. De super itaque mandatum habet tam Dominus V. Plenipotentiarius, quam & Provisor Solnensis, ut in hoc correspondentiam cum A. R. P. V. habentes intentionem meam hanc exequantur. Super quo scripsi etiam Domino Baroni Szunyogh, & D. Luzinsky ut suæ DD. id ipsum in bonis suis faciant. si hac mod-

litate (quod minus spero) elusus fuero , alia media adhibenda erunt .

FRegit tam constans Celsissimi Hæreticam pervicatiam , effectumque est , quod multis & laboribus , & suspiciis desiderabatur , ut nempe liceret Solnam tot male feriatorum dolis in Lutheri errores precipitatam in libertatem Filiorum DEI vindicatam conspicari . Año enim primō saeculi hujus exilium Lutheri indictum est , quā occasione summi , infimique triginta novem supra septingentos Hospites ejuratā impiā sectā , expiatāque sincera Peccatorum Exomologesi vitā anteaestā Angelicæ mensæ cōvivæ felices accubuerunt . neque inanem fuisse conversionem continuatus Sanctissimorum Ecclesiæ Sacramentorum usus , frequentia in Concionibus , in audiendo Missæ Sacrificio , supplicationibus , aliaque Pietatis Catholicæ exercitia testabantur . Quantum ex prospéro eventu hoc solatii acceperit Celsissimus ex ipsius verbis colligere poteris , dum sic ad R. P. Superiorem Kis-Martoniō Anno hoc scribit .

Con-

C'Onsolor ineffabiliter, dum intelligo tantum
 incrementum Fidei Catholicæ esse etiam in
 bonis meis Streczensibus. Agat itaque A. R.
 Paternitas Vestra, & indefessè laboret in Vi-
 nea Domini, ut ex labore A. R. P. Væ. sola-
 tium ulterius quoque habere possim. Deman-
 davi Provisorì meo, ut pro petitorum preca-
 toriorum Libellorum Catecheticorum, & Ro-
 fariorum comparatione numeret R. P. Væ. fl.
 Rhen. 50. D. verd Comitem Szûnyogh, &
 D. Luzinsky meo nomine salutatos adhorter-
 tur, ut si quidem ego exemplum dedi, ipsi quo-
 que me sequi conentur. Nec fructu caruit to-
 ties iterata adhortatio. Vix enim exēplo
 Celsissimi Principis animatus, paria in suo
 Dominio tentandi animum adjecit Illu-
 strissimus C. Szûnyogh. eumq; subditis
 intimari fecit, tantâ & frequentiâ, &
 promptitudine à Luthero ad Romana sa-
 cra cōcurrebant, ut trimestri spatio quin-
 gentis plures præsertim ex Kiszucza Uj-
 helliensibus orthodoxum fideliū Christi
 gregē auxerint. Ipsi insuper Missionarios
 Soc. J. Patres secuti sacrificas eorū pecuniâ
 conducebant, ut ad Patres promptiorē ac-
 cessum obtainere, & cum iisdem primam
 Conscientiæ suæ rationem ponere possent.

Annus itaque præsens fuit ille, quem optimus Princeps tam ubertim sibi gratulabatur, ut verba vix reperiret, quibus gaudia sua exprimeret. Et merito: vidit enim adhortationes suas, tot item præteritorum annorum vigilans curas, Patrum indefessos conatus finem aliquando optatum excepisse; sic nempè verè Catholicus animus non satis facit sibi, nisi in proximos quoque flammam sinceræ in DEum, & Superos Charitatis dispergat. Cœlestibus excitati scintillis sensim inflammabantur recens reduxi; Nec stimulis opus erat, avide accurrebant, & detestabantur obstinatam hactenus suam ad salutaria mentem solatio Patrum singulari, quorum alter anni spatio triginta septem supra centenos pro Sacro Tribunal abjecta Hæresi audivit pœnitentes.

Neque intra oppidum stetit fructus: Sacri per totam viciniam Curiones & ipsi hactenus omni contentione Apostolicæ vocationi implendæ insisterunt, ubi enim prima Capita Solnæ, quorum authoritate in secta confirmabantur, ad ovile verum rediisse audivissent, non



non cessabant pium ob oculos ponere exemplum, & dilaudare, errores detegere, modis deniq; omnibus ad sanitatem revocare; inde factum, tam grandem collectum in diversis Parochiis conversorum numerum, ut pius Lector solatio diffueret, dum Catalogos Pareciarum inspicet; benedicit nimirum DEUS, ubi sincere pro DEO laborant animarum Pastores Apostolici, & Sæculares pias intentiones promovere non negligunt.

ET hæc est prima Solnensium & ejus viciniæ in melius facta mutatio, quæ in animis neo conversorū proculdubio adolevisset, & multis plures tractura erat in sui imitationem; Sed intercepit spes præclarissimas, ac solatia penè ex integro sepelivit ortus in Regno tumultus multorum annorū cladibus memorabilis; quo concussa repente tota Hungaria pacem, qua post profligatam Tököly factionem alma fruebatur, planè amisit. Emersit illico rebus sic turbatis, suis è tenebris hæresis quietem perora, turbis amica, & non nisi tumultuosis temporibus virus suum docta spargere, ac propagare. Prodiere Pseudo Prophe-

tæ in pelle quidem agnina, sed ad dirripiendas oves Christi intime comparati. Mellea pro more Lutheranorum, & ad omnem dulcedinem composita verba dabantur, felle stigio interim audientium animi inficiebantur: inculcabatur passim libertas prisca Solnensibus quid libet audendi, & agendi. Jejuniorum asperitas, Abstinentiæ à carnibus frequētia, Conscientiarum, ut cœci loquuntur, servitus per auricularem confessionem exagerabatur, fugillabatur Catholiconrum pietas tot Legibus constricta. Risserunt multi has mænias, in quibus radices altiores Religio vera egerat (semper enim Solnæ multas licet inter alternationes reperire erat, qui à constanti in Romana Sacra studio egregiè commendari mereantur) Teneræ interea plātulæ nutabant primū, subinde etiam penitus evellebantur. Ed denique recidit fides Orthodoxa, ut ruinæ sine Lachrimis spectari non potuerint. Nec miretur Lector repentinam mutationem successerunt siquidem Celfissimo Principi ad fidelitatem Serenissimi, Legitimiq; Ungariæ Regis se retrahenti continuo ètumul-

tumultuantium grege nonnulli, Lutherò potius, quām tumultuantium legibus subcenturiati, qui novellum Christi gregem ut ad ejuratos Lutheri revocarent errores: absque mora peremptoriè comparatos ad libere seminandum in agro Christi Zizanium rabulas cum superintendentे suo Solnam, & ad totam viciniam induxerunt; remotis ab omni ferè functione Catholicis Apostatas populo, & rebus præfecerunt, nec harum obtainendarum spes ulli relicta, nisi ad Lutherum redux Catholicis Sacris remiserit.

ET quia prospiciebant tantum in excidium animarum vigilantissimi Te-nebriones, ut olim Arca DEI cum Idolo Dagon consistere non potuit, ita se tutos non fore, nisi Orthodoxæ Fidei Ministros sedibus suis depellerent, illud a-gebant primum, quo impetratō à seditionis intrârunt illico, jam olim in Sacro codice descripti: quos cavendos Salvator monet, qui nimirum non intrant per ostum, sed aliunde veniunt, non vocati à DEO, non denique ad erudien-dam

dam plebem apti, sed ad subulam, forfices,
 & stivam nati, ut videbimus inferius.
 effecerunt tamen hæ vacuæ cucurbitæ,
 dum libertatem viræ quasi off. m objice-
 rent, ut plurimos di. to audientes habe-
 rent, seducerentque occupatis Ecclesi-
 is, & triennium integrum impia dica-
 citate pro fanatis, donec Legitimi Re-
 gis felicibus armis in ordinem reductâ
 Ungariâ, & ipsi rursus in possessionem
 hæreditarii sui Celsissimi Principis reci-
 disserint.

PARS SECUNDA

Continet turbulentis Rako-
czianorum motuum temporibus
Religionis Catholicæ in hoc Co-
mitatu in deterius factam mutationem

Paragraphus Primus.

*Quæ Ecclesiæ & qualiter per hæreticos occu-
 patæ fuerint veris Ecclesiarum Pa-
 storibus depulsi.*

Pri-

Priusquam verò inexpectatam animarum stragem enarrare in oppido Solnensi incipiamus, juvat hic subjicere singularum in Archi-Diaconatu Trenchiniensi Pareciarum statum à viro optimo, cuius memoria sit in Benedictione adumbratum, hac inspectâ descriptione illud evenire debuisse advertet pius Lectio, quod Christus ipse monuit: si cæcus cæco ducatum præstet, ambos in foveam ruituros, dum Anno 1704 rudissimos homunciones expulsis Legitimis Parochis assumperunt in Pastores animarum.

In Districtu V. Archi-Diaconatus Trenchiniensis.

Szoblahovienses. Auctoritate Comissariorum à Rakoczio fulti ejus & Parocho Catholico A. R. D. Andrea Skrovavics, & ad filialem Barath Lehotensem abire compulso, Joannem Petrik Passus Vlarenensis custodem hajdonem substituerunt in Scyphis evacuandis egregiè versatum, dilaniaturum Gregem Dominicum, ut qui prius in carnario (Opificio Lanius fuit) Laniandis pecoribus auseverat.

Tur.

Turnensi Parochiali Ecclesia Catholica relictæ Filiales Bioczensem & Selczensem tradiderunt Joanni Szabatka nō vineam Domini colere, sed vix hortos, in quibus olitorem agebat prius, gnaro. Unde non mirum, si lolia animabus in agro Dominico inspersit inimicus hic homo, qui vix Urticas ex hortis runcare addidicerat. Quod verò A. R. D. Georgium Palkovics è sua Parochia non exturba verint, datum id, ut creditum est, honori Excellentissimi Domini Comitis Nicolai Illésházy.

In Oppido Beczkò A. R. D. Andreâ Uhrovics in statione sua relicto, suasq; functiones etiam in filiali Ujfalussiensi obire permisso, Designârunt Comissarii in suburbio locum pro ædificanda Synagoga, ad quam oppidanis ad audiendum Prædicantem Kochanocensem Samuelem Palumbini liber pateret accessus.

Haluzics. Víduata Hæc Parochia Pastore Catholico A. R. D. Andrea Jaszlóczy paulò antè piè in Domino defuncto, Lutheranis cessit, in qua Mathias Krizan Ludi Magister Companum dicunt, Lutheri errores syllabatim balbutiebat.

Ex ko-

Ex kohanocz. A. R. D. Joanne Szkacsány ad filialem relegato, jam nominatus Samuel Palumbini subrogatus est, qui pariter Abecedariis docendis dabat operam haec tenus, antequam una nocte ut fungus in Doctorem excresceret.

Drietomiensem. Administratam per A. R. D. Stephanum Dubniczai, & Anno 1704 cum Ecclesia, schola, & cum suis quinque pagis per Moravos subiecto igne deletam, Kochanoviensi Prædicanti subjecerunt. Pro Catholicis Filialis Kostolna Drietomensis concessa est.

Hanzlikfalvensis. Licet Hæc Ecclesia à Moravis suis spoliata ornamenti penè eversa fuerit, & ad Trenchiniensem pertineret Plebaniam, Lutheranis adjecta pari impietate fuit.

Trenchiniensem. Districtu toto Principem Ecclesiam supradicti Comissarii Augustanæ Confessionis Sectariis destinabat verùm quia unà cum arce in potestate potentiq; protectione Suæ Sacratissimæ Majestatis erat, & præterea Reverendissimus Dominus Adamus Györi Canonicus Nitriensis pro comisso sibi grege sollicitè vigilabat, quod avide desiderabatur, effectu caruit.

In-

In ſuſa. Animofiores Pagi hujus in-
colæ Lutherò addicti. A. R. D. Mathi-
am Bednári cädere Parochiam compu-
lerunt Georgio Petekio de trivio blate-
rðni, qui prius non animum scientia Pa-
ſtori vero necessaria excolebat, sed ven-
dendis cothurnis à ſe confectis vičtum
quæritare aſvetus repente in Doctorem
non jam in folio, ſed pelle evaſit. Va-
pulavit tamen hic blatero à futore, ad
quem è morbo decumbentem cum adi-
viſſet Lutherana Confefſione ad æterni-
tatem præparaturus, illud responſum
retulit: Abi in malam Crucem, quis e-
nim unquam vidit ut futor Cothurna-
rio conſiteatur? subduxit ſe properè plura
metuens verbero. Infirmitus verò advo-
catô Parochô Catholicô peccata ſua can-
dide confeſſus morbo liberatus eſt.

Teplenſibus. Catholicis permiffâ Ec-
clesiâ, & Filialibus, Pastoralibus muniis
diligenter fungente A. R. D. Stephano
Dubniczai, ſuum nihilominus & Syna-
gogæ errigendæ deſcriptum ſpatium. At-
que ne deeffet, qui quinti Evangelii à
Lutherò inventi Tubam inflaret, Ge-
orgius Repkay turpis à Cæſarea Legione,
in

in qua Tubicinem agebat, transfuga, operam suam addixit. verum non multò post Nebulonem hunc ventri farcendo unicè intentum, combibonésque suos vincere quoque ab experientia gnarum, aliisque præterea scatentem vitiis plebs ipsa exosa facessere jussit, veteri suo Parrocho contenta futura.

Misenensem. Cum Filiali Nagy, & Kis Poruba A. R. D. Andreas Szolczani regebat cum Laude. Nihilominus Nicolao Maturini Trenchiniensi prius Ludi-Magistro adjudicatæ sunt ab inquis Judicibus. Quamvis jam prius ab Aratro vocatus ad Ministerium Lutheranicum agricola Michael Petik Nagy Porubensem auctoritate Rusticæ plebis occupasset, quō extinto superius nominatus Misenensis eandem suæ potestati subjecit jure illo, quod tumultus domestici, audacia, lucrique cupiditas dictare solent.

Illaviensis. Anno ferè integro Ecclesiæ istam contra importunos adversarios Reverendissimus Dominus Joannes Frídeczki Præpositus B. M. V. de Rajka Cathedralis Ecclesiæ Nitriensis Canonicus, & Archi-Diaconus Trenchiniensis

strenue defendit , donec tandem agente poti simum Stephano Petróczí Domini illava injusto possessore, una cum sua dote Ferdinandea Pago Tunescicz, Mola item Belussiensi reliquisque emolumen- tis Prædicanti Cassensi Samueli Michalides tradita est; ut singulis diebus pro ex- ercitio habendo Illaviam ventitaret.

Cassensis. Triginta quatuor annis, qui- bus laudabiliter Cassam Oppidum optimus Pastor A. R. D. Thomas Bartovics verbô, & exemplô pascebatur, bis expul- sus, & reductus suo Gregi, durante, quod scribimus tempestate, tertium e- jectus prædicto Samueli Michalides pos- fidendam Parochiam relinquere coactus est. Qui tamen ad suas rediit Oves non multò post.

Belusiensis. Amandaverant Puchovi- enses Joannem Nidetius è Ludi-Magistro factum Prædicantem, sed ob perversos mores vel ipsis Hæreticis invisum; huic- tamen perditō homini se regendos Be- lusienses tradiderunt, A. R. D. Nicolao Klaciānsky sua statione dejecto.

Bolesovienis. Destinata fuit Lutherico- lis, sed nihilominus armata manu Nobili- um

um, ad quos possessio pertinet, loci, adjuvante Rakocziano ductore D. Martino Maselnik conservata fuit, quam ad Ovile verum, iterum A. R. D. Johannes Borchani ferè totam reduxit.

Lednicenses. Parochum suum A. R. D. Paulum Sztupkovsky Filiali sua Rovne contentum esse coegerunt, & à Cothurnis faciendis abstraxerunt Mathiam Polereczky hac solum de causa futurū Doctorem Populi, quod ultra crepidam sapere sciret.

Puchovii. Mortuo A. R. D. Joanne Kisztenei res sacras curabat A. R. D. Joannes Junior Fridczky, hic loci præteritis Zwinglii, Hussii, Calvinique sectatoribus, Lutheranis tradita est Parochia, quam etiam Paulus Major apud suos Senioris titulo honoratus, homo superbiā inflatus & ad omnem fraudem mirificè comparatus insedit. Calviniani in erecta Domo Stephanum Tretius Apostatā Cænæ sua distribuendæ Ministrum præfecerunt. Catholici officia Pietatis privata in domo cum A. R. D. Stephano Nozdroviczky peragebant.

Koczkoviensis. Joannes Molitoris, &
E 2 ipse

ipse sceleratus Fidei Orthodoxæ desertor
è Ichola Triviali Kochanoczensi evoca-
tus inter potatores non postremus Kocz-
kovienses docendos suscepit, paratos fa-
cere, quæcunque libertatem sapiebant vi-
vendi.

In Lukis: A. R. D. Joannem Hudek
per summum scelus Lukenses repudiâ-
runt, & ut se cæcos præstarent magis, co-
clitem delegerunt pro ductore suarum
Animarum Andream Burius nominatū.
*In Districtu V. Archi - Diaconatus Bit-
cfensis.*

Vagb-Beszterczensem. Cum Filiali Pre-
csinensi etipere omni conatu laborabant
Lutherani; & cessisset è voto; nisi Illu-
strissima Familia Balassa impiis molitio-
nibus obviâsset, suas etiam partes agen-
te solerter A. R. D. Joanne Krizan Viro
à pietate, & litteris multùm celebrato. Spe
proinde dejecti, Horreum bene vastum
Zizaniis suæ Doctrinæ deputârunt à Jo-
anne Buris spargendis in auditorum ani-
mos.

Bodinenſes. Pestifero inducti exemplō
claudicare cæperunt in via sanæ Doctrinæ;
quare Andreā Germani pariter clau-
dum

dum uno pede adsciverunt, qui in via
salutis Ducem præbeat.

Udicenses. Pari Audacia A. R. D. Georgium Egbelény deposuerunt, advocâruntque Danielem Nikletius ab Apostasia infamem, cremato hauriendo non mediocriter invetum: quô etiam dum quadam vice liberaliús se ingurgitâsset repentina morte: utinam non æternūm in felici: oppressus periit.

Scavnikiensē. Postquam è vivis deceſſisset A. R. D. Paulus Repka, Predmeriensis interim providebat animabus; non placuit id hæreticis, sufficerunt Textorem Joannem Szapatius dictum, rudem quidem literarum; aptū tamen texendis fraudibus contra Catholicos.

Predmeri: Ne eandem sortem Oppidum subire cogeretur A. R. D. Andreas Raphaëlīs obſtitit, impedire tamen non poterat; quô minus in Filiali Szulov Andreas Mattheides in frequentia Nobilium pestifera Lutheri Doctrina infectorum, plebeculæque stabiliretur.

Hricsovienſis. Eidem Prædicanti A. R. D. Georgius Ribany Cathedram suam profanandam relinquere debuit: ipſe interim

Divinkam se recepit ad Filialem, curatus animas suorum, quantum per iniquitatem temporum licebat.

In Districtu Solnensis V. Archi-Diaconatus.

Kisvucza - Ujhelienses. Dum non possent Ecclesiam Parochialem obtainere, Domini Joannis Mihaloczi constanti reclamatione deteriti, qui Illustrissimi Domini Gasparis Szunyogh, cuius bonorum Provisorem agebat, subnixus auctoritate, negebat se in rapinam consentire posse. Ut singulare, ita dignum relatu est, quod seqvitur: Advenerant majoris hebdomadæ feriæ, quibus ex ritu Catholicò silente campano ære ligneis crepitaculis ad recolendam Dominicæ passionis memoriam populus in Ecclesiam ad vocari consuevit. Ipso die Parasceves præter morem aderant complures ex adultioribus Lutheranis (quorum ex instituto authoris sui semper fuit: omnia, quæ sanctè, sapienterque ab Ecclesia Romana ordinata sunt, convellere) ut pulsu campanarum suis comprecationibus designatum tempus prænunciarent; nec mora accurrunt quatuor primorum Lutheranorum filii, verùm in scholis Societatis

tatis JESU Patrum cum literis in rebus ri-
dei Catholicæ præclarè educati, & con-
gruè edocti, cujus potius: hominis, an
DEI voluntas exequenda, tuendusque
honor; cæterà parentum suorum ex lege
reverentissimi, præcluso turris aditu
Ecclesiasticorum rituum violatores non
curatis Parentum suorum minacibus im-
periis ab ascensu prohibent. Audito tu-
multu toto oppido concurritur, Ecclesia
undique à circumfusa multitudine ad as-
sultum parante cingitur. Catholico fi-
liorum Zelo efferati Parentes lutherani
cætui lanionum (qui isthic loci frequē-
tissimus) invasionem imperant, & si fi-
lli sui refractarii esse continuarent, præ-
cipites à summa turri agerent, præcipi-
unt. Sed eximiorum pro fide vera pu-
gilum fortitudinem, animosque nulla ir-
ruentium multitudo, nullus mortis vi-
cinæ metus inclinare, minus superare
poterant, feliciter defuncti periculo in
statione perstiterunt. Et sic forte undi-
que naëti adversarios Lutherani illud de-
mum extorserunt, ut A. R. D. Georgi-
us Vankovics Claves Ecclesiæ extra op-
pidum S. Magdalena dicatæ traderet.

Hoc obtento Eliam Lany plurium Annorum Ænopolam in Libera, Regiaque Civitate Trenchiniensi Prædicantis officio functurum accersiverunt. Qui dum aliquamdiu Lutheranæ impietatis fæces populo è Cathedra præbiberet, Sancta pœnitens in Æde sua non ultra Magistri sui nomen, doctrinamq; traduci passa, nocte diem sibi ab Ecclesia dicatam præcedanea, immisso turbine ita parietes omnes, lapideaisque columnas funditus dissipavit ut tectum solo subsisteret; stupentibus ipsis hæreticis, ac mirum, non tamen miraculum proclamatibus. Postquam autem (ut semper profusè liberalis in sui dilatatione est hæresis) liberaliter congregatis sumptibus novam à fundamentis sub tectum duxissent domum, ad Consecrandum evocatus Solnenium superintendens, primum ex altiore loco ritum consecrandorum in Ecclesia templorum à primis Ecclesiæ Christi Pastoribus observari solitum fusè explanavit, ac posteaquam se non esse illius five potestatis siue authoritatis palam confessus fuisset, ut idem præstare posset, domum DEI omissis papistarum hinc (& inde formandis

dis cruculis) se verbô duntaxat DEI consecrare, quam consecrationem factâ unicâ per totum protensa manu Cruce terminavit.

Krasznensem. Idem Rabula excluso A. R. D. Nicolao Bartovics sui Juris pariter fecit.

Varnæ. Errecta in foro ex asseribus Synagogâ Luthero adhærentes Oppidani novum è dolio Diogenem extraxerunt Joannem scholaſtici opificio Vietorem lignis dolandis non moribus formandis Idoneum Parochia interim Catholicis relicta est.

Konzkenske A. R. D. Michael Vicfan exulare jussus, vidit substitutum sibi Lupum Andream Gregoriades olim in Comitatu Turóczensi in Trivio Magistrellum repente Theologastrum insulsissimum factum.

Rajecii. Valedicere compulsus est Parochiæ suæ multis annis cum laude possessæ A. R. D. Martinus Gyuracska Successorem indignissimum accepit Isaa cum Andritius, qui se Generum Pseudo Episcopi Stephani Pilarik venditabat.

In Letava. gravi morbo affixus tenebatur

tur A. R. D. Georgius Bartani vetus vigilque Pastor Octogenarius ferè , nulla tamen commiseratione tacti hæretici, pro sua feritate ad domum aliam ut se conferret, compulerunt; in qua etiam ut licuit, Ovibus suis prospexit; aberrantes Georgius Antoni perdendas suscepit.

Rajeczensis. A. R. D. Parochus Frivaldensium curam gerebat, occasione horum tumultuum, verus Pastor displicui ; quod arctam viam ad Cœlum juxta Salvatoris Nostri monitū doceret, audituri, imposterum Josephum Laymany. Erat meri bibulus hic Propheta, & fœdæ libidini deditissimus, omnibus superiùs nominatis nequitia longe insignior, deserta Religione, in qua votis tribus DEO se obstrinxerat, sceleribus suis reperturus perfugium, ad has partes pervenerat, desponsata sibi , Sacrilegōque conjuncta Matrimonii vinculō Nobili Puella; dum in similem offam vigil excubabat; quam ubi apprehendisset, egelidatæ erubescentiæ verbis velut Juratus DEI , & Virginis Sacratissimæ hostis, quidquid in buccam venit, ausu sacrilego eructabat, ut adeò ipsi hæreticæ plebeculæ bilem , & odium

dium moverit. Desertor agnitus mandato Domini Ladislai Ocskai Cæsareæ Legionis, ut dicimus, Collonelli pœnas Luiturus, tot sceleribus dudum meritas ad suos remissus est.

Hactenus Relatio Reverendissimo Domino Adamo Gyûri missa testimoniis tum DD. Decanorum, præterea actualium DD. Parochorum, denique Dominorum Terrestrium confirmata. Ex qua illud luculenter apparet, quâm ex cæcet Populum Hæresis, dum idoneis, & diuturno studio ad munus Apostolicum ritè obeundum præparatis Pastoribus repudiatis, è trivio vasis, Cothurnis, tellis, aliisque vilissimis operibus factitandis occupatos, vix prima literarum elementa lallare gnaros sibi deligunt hæretici viam salutis consequendæ edocendi. Quamvis si hæreticorum mores inspiciamus, non alii placere possunt, à rudi bus enim hujus modi stolonibus nihil circâ fidè molestiæ illatum iri sciunt, ut pote: qui docent, quod jubentur, libertatemque unicè prædicare, ipsi dissolutis moribus asvetissimi conservaverunt.

Sed uti turbatis plerumque Principum Christianorum rebus omnis fere hæresis suum posuit initium: ita non nisi in tempestatibus sua facit & incrementa. Quādiu prænominatis Ungaria fluctuabat tumultibus, multi ab ovili Christi in certum animæ naufragium rapiebantur, legitimis ovium Christi Pastoribus super ruina amarè ingemiscientibus, dum interim hæresis et authoritate, & numero suorum crescebat. At ubi submotis tumultuantiū ducibus Ungariæ sua rediit tranquilitas, Fures, vel lupi potius sexennio prope integro ovile Christi dilaniantes, malè sibi metuentes in obscuros montium sinus, & veteres latebras suas se recipere; legitimi verò Pastores suis Ecclesiis, ovibusque, sed multùm diminutis, alternatisq; restitui cæperunt; per quos deinceps actum sollicitè, ut non tantum factæ repararentur ruinæ: sed insuper majora indies religio vera acciperet incrementa, & semen maximarum plerumq; turbarum hæresis quam latissimè extirparetur; nec felici caruere successu Apostolici conatus tum alibi, tum præprimis in Dominio Ledniczensi, ad quod

quod omnium tere hæresum coluvies à vicinis ejecta Principibus per Rakoczios pro tunc Dominii possessores, & Calvinio nimium fideles non tam admissa, quā evocata, & faventibus firmata statutis fuerat. Triennio hic integro Missionarii Soc. JESU Patres laboraverunt, & initio quidem non tantum sterili, sed arduo, unā & periculoſo conatu, successu temporis tamen invincibilem operariorum suorum laborem qui solus incrementum dat Deus, in tam multam abire fecit messem; ut oppida integra, pagiq; accessione sui grandem faciant fidelium hic loci numerum. Omnes præterea Cætus, qui opificum sunt frequentes, non nisi legibus ad religionis Catholicæ ritum compositis, Regiāq; firmatis autoritate à modo regulantur, omniq; potestate exuta hæresis, te omnino succissam ingemiscit. Deniq; nunquam satis laudando Spectabilis Dñi Ladislai Mattyásovsky in hocce Dominiō hæreditarii zelō ita refloruit, aucta q; Religio Catholica: ut Ecclesiarum Prælatis solatio, Regno toti sit admirationi; hic enim Orthodoxæ fidei promovendæ studiosissimus Dominus nihil emisit, quo opera-

perariorum Apostolicorū indefessos conatus confirmaret, foveret, promoveret, uberiore gestæ rei narratione dignissimus, nisi alio festinaret calamus. Erit tamen, qui aliquando Domini hujus eximia merita fusori elogio prosequatur.

Paragraphus Secundus

*Prædicans Solnam introducitur, & fru-
stra resistente vicinâ Nobilitate Catholi-
ca Parochialis Ecclesia Lutherano superin-
tendenti consignatur.*

Jam verò à quibus digressi sumus, ad Solnenses regrediamur; quorum auctoritate ut plurimùm vicini Hæretici nitebantur. Vix famâ per latum est latius factionis asseclas grassari, animos resumpserunt quot quot haetenus vel nutabant, vel in sua pertinacia permanerat; & præsertim ubi accepissent montanas Civitates metallorum feraces in potestatem Rakoczii venisse. Nec jam obscurè tumultuari, sed apertè Lutherum prædicare, tempus adesse, quod Catholicam Religionem opprimere, séque: ut Hæretici sibi persuadent in Libertatem assertere que-

queant ingeminant. Cæterum ut firmius se contra omnia Catholicorum tela armarent, diligunt è suis rerum expedendarum peritiores, quos ad Franciscum Rakoczium tumultuantum antesignatum ablegârunt. Non multis opus erat vel precibus, vel impensis, facilem habuerunt Principem ad concedendum liberum sectæ suæ Exercitium. Cinctus enim erat diversarum sectarum Primipilis, quibus nihil si vel maximè cupiisset, Dominus cæterà Catholicus negabat, vel audebat. Læti felicibus successibus revertunt proditores Orthodoxæ Pietatis, & ut tanto plus utilitatis in rem suam ex obtento decreto elicerent, celeritate maxima evocant Danielem Grman, qui à vita Improba abunde notus, æquissimo tandem Judicio de sceleribus convictus, ad luendas in carcere pœnas damnatus est. Adebat propere fraudum Architectus. Vix fama pervasit appropinquare, curritur avidè in occursum, ut quingenti ferè comitarentur ingredientem, Latus 30. equitibus cingeretur, peditibus armatis quinquaginta. Ut autem, stabilitati consulturi, Jureid à se factum ostend-

Her
man

derent, altera statim die Senatum ad Curiam cogunt, præsentant Rakoczy responsum, perlegitur, mittitur Parochū suum invitaturus; sed illo reponente Curiam non esse sedem Parochialem, Si quis præsentiam suam requireret, Residentiam suam à nullo ignorari, adfuere frequentes Cives cum Senatu, & coram R. P. Superiore & Parocho iterum relegitur, ac ut omnes se accommodent severæ adjiciuntur monitiones ad extremum. Erant præsentes multi, qui detestabantur indulgentiam Rakoczio ipsis olim deflendā, at qui resistere furiosæ multitudini posset repertus est nullus. Cœpit denique ^{Her.} Possessionem Prædicans Grman vel ipso ^{manu} nomine ostentans indignum se esse, qui in bonum fructum maturescat. Dimidiantur proventus legitimo Parocho, Templisque deservientibus destinati; inde factum, ut Ædituus ipse spe amplioris lucri altera die per summum scelus fidem DEO datam violaverit desertor nequissimus, & mercenariam Lutheranis addixerit operam, clausurus sibi Cœlorum fores, nisi fortè pœnitentiâ syncerâ consuluerit saluti, qui haram Lutheri magis

gis, quam veri DEI Ecclesiam referare e-
legit. Petierunt insuper Turbarum au-
tores, ut Rakoczy rescriptum in publi-
cas Tabulas referretur; intercessit statim
R. P. Superior, atque ubi nervosis argu-
mentis rejiciendam impiam petitionem
ostendisset, erexit Catholicorum ani-
mos, quorum etiam authoritate effectu
caruit, quod desiderabatur. Prædicans
interea in domo Burisiana Populum da-
mnatis ab Ecclesia Catholica erroribus
imbuebat, & in brevi effecit, ut in sub-
urbio Domus Polentaria D. Balthasaris
Stranavsky scholis erigendis, ac è regio-
ne exercitio publico deputaretur. Quo
citiùs expediretur negotiū, indicatæ sunt
collectæ, nec erat opus magnis adhorta-
tionibus (imitati Israëliticum Populum,
dum aurum ad confundendum vitulum pe-
teretur) tantum æris congestum est, ut
anno eodem ædificium benè amplum su-
premam acceperit manum. Nec mirare
Lector largiendi promptitudinem. Quid
enim non impetratur ab obcæcatis inani
Libertatis amore pro Synagogis, in qui-
bus sciebant non ea, quæ ad vitia eradi-
canda, frequentanda Opera Pietatis, vi-

tam è Legibus DEI, & Ecclesiæ instituendam excitant, sed quod arridet doce ri; eò enim hujus farinæ ministri impi etatis, ne displicerent Populo, colli mant dictione ad melleam suavitatem composita, ut rejecta necessitate bonorum operum, Præceptorum Divinorum servandorum impotentiâ altè impressa regula agendi esset cupiditas. Perfecto que ædificio abrepti ex scholis Catholicis, in quibus cum Litteris Pietatem combibebant Parentum Apostatarū Filiī, & traditi innocentes agnelli lupis animalium devorandi; multi non bene adhuc confirmati defecerunt. Beneficium Companis (ii sunt cantui, & scholæ triviali deputati) nostratibus Carnificationis ut vulgo vocatur negatum, & licet prius difficiles se ad modum præberent Laniones, promptissimos habuit Vanoch Co thurnarius unus è Sinagogæ ministris huic muneri exequendo delectus.

ATque utinam his contenta Hæresis fuisset! ultro progressa, Catholicos veteres Possessores per summam Injuriam Templo spoliare, DEI, & Fidei Orthodoxæ acerrimi Hostes constituunt.

Favebat in ömne scelus tempus, præser-
tim quô Szécsénensis Conventus indi-
ctus fervebat, in hoc enim cum omnia
tumultuosè agerentur, impetrârunt, ut
per deputatos Commissarios Parochiale
Templum traderetur Lutheranis. Mo-
liminum perversorum bene consci erant
tum Solnenses, tum vicina Nobilitas,
quibus Orthodoxæ Religionis amor alti-
us corda penetraverat, & sollicitè in o-
mnem partem intendebant oculos, si ubi
medicina tot vulneribus Pietati illatis
occurreret. Semper enim & Solnæ &
in adfisis Castellis ac Pagis reperiebantur
turbatis etiam maximè rebus, qui se fir-
missimum murum pro Domo Dei pro fi-
de unicè salutari opposuêre. Undesimul
ac famâ percrebuit Annô 1705. die 19.
Novembris Comissarios Rajeczium atti-
gisse, collatis consiliis obviam progre-
diendum rati, eô advolant, rogant mul-
tis, ne iniquissimæ petitioni subscribant
æquitatem Catholicorum exponunt litteras
Bercsény depromunt, quibus veta-
bantur Solnensem Ecclesiam eripere.
Responderunt Comissarii facturos se, ut
Catholicis securis esse liceret, neq; quid

quam Injuriæ patiantur. Intellectō responsō precibus & Pollicitationibus iterū eō impulerunt Comissarios Lutherani, ut posteaquam Létaviensem & Konszkensem Ecclesiam profanandam tradidissent 29nā ejusdem mensis Solnam ingrederentur. Confederunt in Domo Dominali limina primoribus Lutheri fautoribus obſidentibus. Porronē quid ad injuriam in ferendam intentatum relinqueretur, Primores hæretici Plebem exciverunt ad extorquendum faciliūs, quod petebant impulsuram. 23ia igitur, hora octavā matutinā concurritur undique ad forum, fustibus, gladiis, sclopis armati confluunt ut olim contra Christum Dominum eruperant morte afficiendum, ita nunc ad fidem à Cælesti hoc fundatam Magistro evertendam; ingeminabantur minæ, & nisi extemplo Ecclesia tradatur, extrema minitabantur, nihil tamē ea die actum sextā post meridiem furiosa multitudo dilapsa est. Subsequenti die 24tā nimirūm circa nonam manē audi: Paganā fæcerursum compita, forū mque inundant, & renovant, imò dupl cant insanas voci ferationes. Interea (cu-
jus

jus inferius uberiorem faciemus mentionem) cum Solnensibus Catholicis in Residentia congregata Nobilitas Libellum supplicem, in quo nervosis argumentis Templi Possessionem confirmari petebant, per quatuor è suis DD. Comissariis deferendum curavit, iterum assenserunt petitioni, & cum abitum pararent nihil mutatum iri dicebant, donec aliquid certi stabiliatur à Rakoczio.

Breve admodum fuit solarium, iterum fidei datæ immemores; convocârunt horâ quartâ frendentem Populū ad Domum Dominalem, quæsiveruntq; è fenestra, num velint violenter occupare Parochiale Templum? illis exclamantibus: volumus, volumus, pro responso: facite quod vobis libet, reposuerunt. Complentur statim omnia clamore, tumultus augetur, extremumq; Orthodoxis exitium paratur. Non poterat tamen infringere Catholicum pectoris tumultuantis turbæ rabies Spectabilis Domini Emerici Nedeczky, qui DEO confisus, causæque æquitati sibi temper dum viveret commendatissimæ, postquam enim Comissarii hæreticorum votis sub-

scribendum decrevissent, coram tota
 multitudine alta voce nomine statu
 Catholici contradixit, séque pro Domo
 DEI magna animi alacritate opponere
 non expavit, illud addens: indignum
 esse, ut Societati JESU Templum, & scho
 læ erripiantur, quæ ob sinceram verbi
 DEI prædicationem & Juventutis lauda
 bilem curam amari potius, æstimari que
 deberet. Accensus est illicè adeò furor,
 ut dictum Dominum è fenestra ejicere
 pararent ad extrema pro DEO ferenda pa
 ratum, fecissentque, nisi Comissariorū
 verbis placidioribus tumultus resedisset,
 cogitationibus mox ad majora adhuc sce
 lera conversi. Indulgentia siquidem
 Comissariorum instar mandati erat Po
 pulo conscientiæ oblio, & prolibidine
 cuncta agenti; properatur ad templum,
 claves ex Capellania vi rapiuntur, ten
 tant aperire, at incassum, hinc inanes
 suspiciones ortæ, latere Catholicos in
 tus repellendis aggressoribus non impa
 res. Nihil proinde eo die actum ampli
 us est, excubias tamen egerunt ad susci
 tatum ignem ut olim Judæi, Lictoresq;
 in Prætorio Pilati, dum Christus ad ne
 cem

cem peteretur, in hoc tamen superâsse
videntur Judæos, quod illi Matri peper-
cerint, hi nocte concubia è vicinis scho-
lis B. Virginis simulacrum abripiunt,
trahunt, retrahunt, sacrilegis impetunt
dicteriis, & ubi ad satietatem deridiculô
habuissent, ne parum egisse viderentur,
exurunt, quamvis ipsi digniores flânis
fuissent; nisi infinita DEI misericordia
& Matris Clementissimæ intercessio re-
spiciens futuram Solnensium pietatem o-
lim reducendorum pœnas avertisset. Nō
disparem sortem cæteræ Divorum Icones
subière, quæ pro recepto in scholis Soci-
etatis JESU more parietibus affigi solent,
ut Juventus tenera in solitis exercitati-
onibus difficultate pressa ad imploran-
dum auxilium Divinum per horum In-
digetum Patrocinium excitetur, non
verò, ut criminari solent, cultus DEO
debitus Sanctis impendatur. Hæc à Vi-
ris ut plurimum patrata, nè verò fœmi-
neus sexus minùsse paratum ad petulan-
tiā ostenderet, arreptis noctu Titioni-
bus puellæ aliquot, facigerarum functu-
ræ officio præibant, reliquis insano cla-
more perstrepentibus supplicationibus

Catholicorum illusuræ Cæmeterium circuibant; ulta est tamen Divina Nemesis, & cachiños in amarū Luctum convertit, nam vix anni elapsō spatiō, omnes morte utinam non æternum defenda ad Tribunal Divinum daturæ impietatis rationem evocatæ sunt. Ex quibus dum ultimam unus è studiosis Catholicis apud Parentes illius in hospitio existens admonuisset, ut se pro morte pararet, illi quoque imminere supremam horam, risit illa, sed paulo post vindicis DEI manum & illa experta est. Sic nox illa transacta fuit, dum diluxisset, eas fecerunt progressiones, ut Comissarii ad Residētiam venientes R. P. Superiorem invitarent resignaturum Ecclesiam, suáque potestate hæreticorum confirmaturum possessionem, at ubi audivissent ab illo in sua id non esse potestate, ut collaboret; regressi Ecclesiam Impiis exercitiis contaminandam tradiderunt. Nunquam tanta frequentia Populus ad adorandum DEum cōfluxisse visus, ut ad evertendam pietatem, longumque tempus apparebat dum redirent nuncii ex Residētia. Vix enim intellecta Comissiorū men-

mente irruerunt tanto impetu in Tem-
plum, ut puderet non esse inter primos
violentos aggressores; Imagines primùm
è parietibus pendulas detrahunt, tum
statuas Sanctorum Evangelistarum, de-
nique quidquid Devotionem redolebat
tanta festinatione evertunt, ut Leonis
Armeni, Michaëlis Balbi, Theophili ve-
terum Iconoclastarum animas in hos te-
nebrarum ministros immigrasse crederes.
Superarunt certè hac improbitate vel
ipsam sacrilegam Lutheri impietatem
qui dum Carolo Stadius Wittembergæ
bellum sacrī imaginib⁹ indixisset, con-
stanter detestatus facinus renitebatur.
Posteaquam satis furori litatum fuisse
Vexillis, & timpanis instructi Prædicant-
em è suburbana Synagoga desuorum af-
feclarum detestandis, indignis vel me-
moratu successibus tripudiantem ad se-
minanda DEO Superisque exosa Dog-
mata inducunt partim Psalmum: *In exci-
tu Israel* linguā slavonicā concinente,
partim ingeminantes: Vivat Rakoczy
Princeps, & Patronus noster! campa-
nis omnibus perstrepentibus interea.

Studioſa interim Juventus dum defer-
 vesceret procella auditio Missæ sacrifici-
 o Festo die Sanctæ Catharinæ Virginis
 & Martyris ad Parentes remissa est, ut
 aut ad alia Gymnasia mitteretur, aut pri-
 vatim tantisper imbueretur. Quāvis non
 multō post Perilli D. Georgio Trityiansz-
 ki in sua domo juventuti erudiendæ cō-
 moditatem indulgente & frequentiores,
 & Nobiliores confluxerint. Et quia de-
 erant magistri, majoribus jam in Socie-
 tate JESU defuncti officiis, & Apostoli-
 cis consumati laboribus Patres horum
 subiverunt vices; atque ut desideriis Ca-
 tholicæ Nobiltatis satis fieret, præter mo-
 rem hic loci Poësi præterea, & Rheto-
 ricæ Professor datus, qui solus septuage-
 nis plures in sibi designata classe nume-
 ravit. Et quia intra oppidum nullus lo-
 cus peragendis Catholicorum sacris reli-
 giosus erat, in Residentia triclinium Ora-
 torio adornatum est, tantumque ex an-
 gustiis suis Religio Catholica accepit
 profectum: ut nunquam spectabilius si-
 ve juventus virtutis, ac literarum stu-
 dio, sive reliquus Catholicorum status
 pietate, fortitudine, ac zelo eminuerit.

Quo

Quo Catholicorum in omnibus Religionis suæ solemnitatibus insigni fervore primùm ad indignationem, demum in rabiem ferè acta hæresis omnem adhibuit industriam; ut Patres Societatis Solnæ in Silesiam exules irent, futurūque certo erat: nisi vicina Nobilitas ut infra fusius dicetur assitisset.

Paragraphus Tertius.

Recensentur nomina eorum, qui tum è statu Ecclesiastico, tum Seculari, & in conservandis Patribus Soc. JESU Solnæ, & iuenda Religione Catholica bic, & in reliquo Comitatu Brennosse exhibuerunt.

Sancitum fuerat in conventu Széchényensi penitus urgentibus id Lutheranis, & Calvinistis statuum federatorum Regni Hungariæ (hoc enim se titulo scribebant) Primipilis, ut Societas JESU hæresum nempe extirpandis nata zizaniis, & ex eō illis infenissima, locis per eos possessis omnibus ejiceretur; vixq; omni conatu Catholicorum impetrari potuit, ut pauculi ex omnibus pro more

fuo

suo tum huma~~n~~ioribus, tum altioribus
 literis tradendis operam suam impēsori
 Tyrnaviae, & Cassoviæ relinquenterunt.
 Nec longa concessa mora, Comissarii ex-
 ecutioni statuti hujus delecti, jussa exe-
 quntur continuo. Facta primū dimi-
 nutio personarum est in prænominatis
 duobus Collegiis, juxta libitum exiliō
 Societatem JESU damnantium, ex qua,
 in altero tres supra vicenos, in altero o-
 cto supra denos, relicti fuerant, reliquis,
 partim in vicinam Poloniam, partim in
 Moraviam, & Silesiam, cum militari
 custodia deductis; eadem sors contigit
 residuis omnibus Societatis JESU Domi-
 ciliis, quibus, mediō Comissariorum,
 retenta domi omni supellec~~t~~ile, tanquā
 pauperes Christi ejecti, Apostolici Zeli,
 & laborum toti Regno, præsertim in e-
 ducanda Juventute utilissimorum, mer-
 cedem, exilium acceperunt, succeden-
 tibus in scholis, plerumq; è statu Eccle-
 siastico Professoribus. Bona porro Fun-
 dationalia Confœderatorum Fiscus, pro
 libitu suo, fœderationis hujus Amicis
 partiebatur quædam, quædam in usum
 proprium retinebat, dum interea Patres
 non

non tam à Militibus, quam à licitoribus
 plerumq; enim hæretici erant) abduce-
 bantur; ex quibus, dum complures, per
 Solnam, in Silesiam transmittendi vehe-
 rentur, & quietem capturi subsisterent,
 vicina Nobilitas, eaque eximiè Catho-
 lica, tum compassionis, tum Zelô Reli-
 gionis veræ excita, exules, in suam re-
 cepit protectionem, acturāmque se apud
 Rakoczium pollicita est: ut liceret Pa-
 tribus, hic demum subsistere, & pro mo-
 re suo, tum in juventute erudienda, tum
 in prædicando Christi Evangelio opera-
 ri. Et negotium istud quidem, comis-
 sum fuerat Perillustri Domino, Geor-
 gio Prileszki, pro nunc Incliti Comita-
 tūs Trenchiniensis, continuis annis Vi-
 ce-Comiti, de toto Comitatu hoc, &
 præsertim de Religione Catholica opti-
 mè merito; qui nomine quinque Comi-
 tatum, pro retinenda in Regno Socie-
 tate JESU instantiam faceret, & si ne-
 cessè foret, etiam protestatione interpo-
 sita, statuto illi obviaret, quod ille nego-
 tium, in illis temporum Circumstanti-
 is plenum periculi, non absq; vitæ ipsi-
 us discrimine ita tamen & providè, &
 effi-

efficaciter egit Vir DEO, & Legitimo suo Principi imperterritè fidelis ut Patribus exulibus quidem jam à domiciliis suis, Solnæ tamen subsistere, & rebus, secundum institutum suum operam dare liceret.

URebat nimium hæreticos Præsentia Patrum, præsertim quia videbant operâ eorum, sua prostitui dogmata, errorésque detegi, non confirmari modo, in fide debiliores Catholicos, sed multos etiam è suis ad Romana Sacra reduci, juventutem in scholis eorum congregatam, suis non tantùm scholaribus, sed companis etiam literis præcellere, frequentibúsque (quæ eruditè Patres in rem præsentem accommodabant) dramatis, & ut dicunt, aetiunculis, omnium etiam hæreticorum affectum, existimationémque præripere; omnes deniq; ritus, procesionésque eorum longè maiore & solemnitate, & Nobilitatis frequentiâ obire. Accidit præterea ad maximam hæreticorum confusiónem, ut dum nundinis publicis, Festō Corporis Christi intromissis, procesionem aut impedire, aut saltem turbare voluissent Catholicorum

non tantum impedimentum posuere nul-
lum; sed potius occasionem exercendi
Zeli Catholicis eximiam dederint: præ-
terquam enim, quod comitante utrius-
que sexus nobilitate Comitatūs fere toti-
us, Illustrissimus, ac Reverendissimus
Dominus Emericus Pongracz, unus è
quatuor Columnis Archi-Capituli Stri-
goniensis, Sanctissimum Eucharistiæ Sa-
cramentum cadentibus præ solatio tantæ
solemnitatis ubertim lachrymis, devo-
tus & ipse Redemptoris sui bajulus, de-
tulerit; Spestabilis Dominus Alexander
Luzinski, totius militiae hoc in Comita-
tu Præfectus, commissione data Centuri-
onibus suis, qui aderant, totum forum
hæretica potissimum refertum plebe, &
tumultibus, ac clamore ex composito
plenum, non tantum silere, sed detecto
capite, ac de genibus, integrum, dum
pro more perageretur, processionem spe-
ctare coëgit. Omnem proinde hæreti-
ci conatum eò contulerunt, ut Patres
Societatis ex statuto Szécsényensi exu-
les abirent.

Nec multis opus erat stimulis, ut hæ-
reticum, Rakoczii latus stipantium
sena-

Senatum in vota sua ducerent, ubi jam
secura omnia Patribus his videbantur;
Aderat semel, atque iterum uti olim Sa-
ulus severis, ut dicebatur instrutus man-
datis Dominus Georgius Otlik, magna
inter Rakoczii asseclas authoritatis, lu-
therique defensor peracerbus, qui illud
magnâ contentione agebat, tum stimu-
latus ab adversariis, tum odio etiam in
nomen Jesuitarum ductus: ut Patres Sol-
nenses in exilium quamprimum amanda-
rentur. Non caruissent successu impii
conatus, nisi Catholica Nobilitas, impe-
tum propulsasset. Vix enim perversa
intentio innotuit: accurrerunt ple-
rique, & à Patribus periculum feliciter
depulerunt, parati semet discrimini ob-
jicere, si quid durius ab Otlikio fuisset
tentatum. Et quia iterum novis, iisq;
gravissimis mandatis Patres extra Regnū
ire jubebantur, jamque aderat miles, qui
abeuntes committaretur, nec ultrà re-
tinendorum Solnæ Patrum medium in-
veniretur, vicini Magnates cum Nobi-
litate eosdem Patres inter se partiti sunt
& in Castella Arce que suas abduxerunt,
donec sopitis tantisper tumultuantium

con-

conatibus iterum Solnæ quietis habitare
liceret.

His proinde Patronis, & Patres Societatis JESU in Comitatu conservati sunt, & Religio Catholica strenue propugnata; quorum Nomina, ut gratianimi monumentum relinquemus, & posteris præclara Antecessorum suorum vestigia ad imitationem proponeremus, è re maximè factum iri censuimus; si in præsentem historiam deduxerimus.

ET Præprimis quidem è statu Ecclesiastico duo (præter jam alibi allatos, adferendosque inferius) singularem merentur memoriam: Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Emericus Pongracz. Et Reverendissimus Dominus Adamus Gyûri. Prior Strigoniensium Canonorum cathalogo insertus, Ejusdem Capituli Lector, unà & Episcopus Pharensis, ac subinde Scepusiensi Capitulo Præpositus datus; cui muneri etiam immortuus est, in pago Nedecze Solnæ vicino, eo ipso tempore, quô templo Catholicorum per Rabulas lutheranos profanabantur alibi. Sacellum honori Sanctæ Annæ bene amplum excitavit (præ-

teralia pietatis monumenta) Sacrâ supellestili, reliquis item ornamentis egregiè instruxit, exulum Parochorum, uti & Patrum Societatis JESU egestatem non semel adjuvit, frequentibus alloquiis in Apostolicis operationibus confirmabat, conatusque quô poterat modô, promovebat. Alter Abbas B. M. V. de Gagy administratâ multos annos cum magno Catholicorum incremento Parochiâ Trenchiniensi, exclusisque Authoritate Cæsareo-Regia ab omni Parochialium muniorum administratione Prædicantibus etiam respectu suorum, ac ad solam quinti Evangelii prædicationem licentiatis, insuper ab ipso Civitatis interioris ingressu prohibitis. Post plurima hîc, & per totum Archi-Diaconatum suum Trenchiniensem præclara Zeli Apostolici posita monumenta in senectute bona, & plena meritorum Nitriam translatus, Vicariâ potestate ab Excellentissimo suo Diecæsano Diecæsim moderari jussus, eum se præbuit; ut speculum ficerit animarum Curatoribus earum virtutum, quæ Apostolico viro esse debent propriæ; dum adhuc Archi-Diaconum age.

ageret Trenchinii, constanter Patres Societatis JESU Solnenses contra hæreticos protegebat, aderat authoritate. Qui escit uterque ad æterna laborum suorum translatus præmia.

E Statu verò sæculari sequentes adnotati reperiuntur ; qui, nè turbatis illis temporibus præsumptuosa hæresis perversorum conatum suorum progressum faceret , omnibus modis obviare adnitezabantur. Illustrissimus Dominus Comes Casparus Szunyogh, Celsissimi Principis Pauli Eszterházi, in convertendo suo pariter Budethinensi Dominio Æmulator eximius. Illustrissima Domina Maria Perényi Illustrissimi olim Domini Gabrielis Balassa relicta vidua, intra suum Vagh-Beszterczense Dominium non tantum in conservanda ; sed in universum propaganda Religione Catholica Apostolicum præclarè exercuit Zelum ; dum enim in vicinis Dominiis per introductionem prædicantium Romana fides , & magnam sui desolationem , & plurimos hæreticorum progressus intueretur : Domina hæc & à pietate , ac multiplici Christianarum virtutum decore , & à sin-

gala i in rebus omnibus prudentia toto Regno verè Illustrissima, primùm omnem spem introducendorum in Dominium suum prædicantum succidit; deum reductō ad fidem Catholicam universō populō suō doctrinam lutheri, ejusque cultores masculâ fortitudine funditus extirpavit. Parùm præterea illi videbatur suorum duntaxat saluti consuluisse, ut pluribus prodeisset; ampliusque Zelum suum testaretur, pulsos è parochiis suis viros Ecclesiasticos benignè in Arcem suam recipiebat, de vietu, vestituque provisura, & Religiosis mendicantibus negatam ab hæretico populo eleemosinam suis de proventibus suplebat, & Patribus Societatis JESU Solnæ strenuè contra hæresim in vinea Domini agentibus, de quotidiano vietu necessariis frequenter, & copiosè providebat.

Singulari etiam memoria dignus est Spectabilis Dominus Alexander Luzzinszki, qui præelegit factiosorum Primipilis displicere, quam injurius esse religioni suæ. Acceperatis in mandatis tumultuantinm Generosissimo; ut sepositâ omnisive morâ, sive obstaculo, Sol-

nâ Patres Societatis JESU, suo, cui præ-
erat milite committatos Regnô tandem ejici-
ceret. Acceptis supremi sui ordinibus
ab hac omnino expeditione abstinuit,
hoc unum misit in responsis: se nunquam
in Religionem suam arma sumpsiisse, nec un-
quam se Patres Societatis JESU in hostibus
Patriæ suæ censuisse; immo sive erudienda in li-
teris ac virtute Nobilissima quaque juventute,
sive propaganda Religione orthodoxa tantum
semper profuisse, prodeesseque; ut nemo feret
summorum infmorumque sit, qui non & vir-
tutis, & literarum beneficium ab his se acce-
pisse recognoscatur. Esse & sibi filios, quos spera-
ret meliorem ab educatione, & disciplina illo-
rum, quam à suis, quas gratiâ illorum con-
servaret, congregaretque possessionibus hæreditate
tem accepturos. Ut in hostem præcedat, suf-
ficit innuisse; ut in Patres Societatis JESU
nullis se persuaderi posse argumentis, nullis im-
pelli mandatis. Pone hunc sequentes sunt:
qui constanter præclaram tuendæ religi-
oni Catholicæ dederunt operam. Spe-
ctabilis Dominus Nicolaus Madocsani In-
clyti Comitatûs Trechinensis Vice Co-
mes à pietate, & exacta justitiæ admini-
stratione clarus. Spectabilis Dominus

Nicolaus Szunyogh, post varia munia
Excelsæ Tabulæ Septemviralis Assessor fa-
cetus. Omnes jam memorati ad merce-
 dem semper duraturam à Remunerato-
 re rectè factorum evocati sunt. Spectabilis Dominus Christophorus Ugrono-
 vich, post gestam Vice-Comitis dignita-
 tem, Tabulæ Septemvirali assidere jussus,
 utilem Regno impendit operam, im-
 pensurūsq; est etiam à morte (quæ ut
 tardè eveniat, precamur) in filiis Ladi-
 slao, & Christophoro, jam publicis offi-
 ciis in Comitatu honoratis. Debet huic
 Viro multūm vallis Trenchinensis à
 graffatoribus publicis repurgata, debet
 Religio Orthodoxa præsertim in proce-
 su Comitatus superiori defensa, & mul-
 tis aucta incrementis. Spectabilis Do-
 minus Emericus Nedeczki, nullis five
 largitionibus, five Patrociniis; sed solis
 causam agentibus meritis, ad gerendum
 Protho-Notarii munus Præsentiae Regiæ
 in Judiciis Locumtenentis evocatus est
 Pestinum; quo munere patriarcharum legum
 admodum gnarus, aliquot annos laudabi-
 liter perfunctus est: tandemque fractis
 viribus, ingravescente ætate decedens, re-
 li-

liqum vitæ domi suæ præparationi ad supremam horam impendit, quam etiam exemplari pietate, & sui cum divina voluntate conformatio[n]e Annō 1732. mense decembri obivit; reliqtis Paternas virtutes mature æmulantibus Filiis. Quorum Primus natu Josephus, posteaquam se in Comitatūs Pestiensis Notariatu & substituti Vice-Comitis munere, majori dignum gradu probat[er], à Serenissimo Lotharingiæ Duce Francisco, Regio per Ungariam Locumtenente, ut suas in Tabula Regia vices gereret, est delectus. Alter Carolus ætate proximus, à Protocolo, cuius curam primum in Excelso Consilio Regio primus gesserat, gradatim promotus, meritis suffragium dicentibus, Consiliariis denique Regiis Posoniensibus adlectus est, Religio[n]is Romano-Catholicæ tutandæ, quâ ampliandæ ardore, comitate erga universos accommodâ, expediendorum Regni negotiorum dexteritate multùm laudis consecutus. Tertius, nascendi tempore postremus sæculo vale iusso, Religioso instituto vitam suam addixit.

PRæter jam relatos, referri pariter,
 commendarique debet Perillustris
 Dominus Andreas Gyurcsáni, præter
 alia officia cum sui nominis commenda-
 tione Generalis Incliti Comitatūs Tren-
 chinensis Perceptoris munus continuè
 subit, dignissimus sanè commemoratu,
 tum ob insignam vitæ probitatem, tum
 omni ex parte integrum officii sui admi-
 nistrationem. Perillustris Dominus Jose-
 phus Hrabovszki actualis in Processu su-
 periore Nobilium Judex, à justitiæ amo-
 re, prompta instantibus quibusque suc-
 currendi voluntate, solidâ rerum agen-
 darum scientiâ, constanti devotionis, &
 tuendæ Religionis fervore, benevolen-
 tiâ in omnes, aliisque ornamentiis in In-
 clyto Comitatu abundè notus. Perillu-
 stris Dominus Wolfgangus Maithéni.
 Perillustris Dominus Christophorus Œr-
 dödi. Perillustris Dominus Georgius Tr-
 styianszki. Perillustris Dominus Geor-
 gius Podhorszki. Perillustris Dominus
 Adamus Akai. Perillustris Dominus E-
 mericus Zavodszki, omnes uti Nobilita-
 tis antiquitate, ita Religionis Catholicæ
 quâ tuendæ, quâ propagandæ amore cla-
 rif-

rissimi. His adnumerari meritò possunt
 è Solnensibus: Generosus Dominus An-
 dreas Bivoléni. G. D. Joannes Thamasi.
 G. D. Stephanus Visnovszki, qui ex par-
 te statùs Catholici ablegatus, Missko-
 czini apud Rakoczium utilem operam
 impēdit. G. D. Casparus & Daniel Janacs, u-
 terque Judicatùs officio ad omnē justitiā
 sustentato, & de tota Civitate, & præpri-
 mis Religione Catholica præclarè meriti.
 Hi proinde sunt, qui Catholica dogma-
 ta etiam cum periculo vitæ sæpe strenue
 tutabantur. Quos dum leget lector, no-
 lim existimet, nihil ab aliis in Orthodo-
 xæ fidei emolumențū laboris insumptū.
 Libenter & aliis grati animi vestigal pen-
 deremus, & pro merito in historiam mit-
 teremus; si omnium nomina, factaque
 laudatissima ad nostram venissent notiti-
 am. Non dubitamus tamen nomina eo-
 rum in libro omnia videntis, & remu-
 nerantis scripta esse in Cœlis.



PARS TERTIA

Sedatis tumultibus Rakoczianis, quales
progressus Religio Catholica Solnæ
habuerit ab Anno 1709 ad annum
1724 narratur.

Paragraphus Primus.

Referuntur Resolutiones Augustissimi
Imperatoris Leopoldi Magni datæ Au-
gustanæ, & Helveticæ Confessionis sectatori-
bus; ac demum Excellentissimi Princi-
pis Pauli Eszterházi in reducendis Sol-
uenib[us] Zelus continuatus usque
ad annum 1712.

Antequam autem cœptam referenda-
rum rerum seriem persequamur, nō
inutile erit Augustissimi Monarchæ Leo-
poldi Magni responsum datum Augu-
stanae & Helveticæ Confessionis Sectatori-
bus hic apponere; ex quo reliqua nar-
ratio lucem est acceptura majorem, quod
sic habet:

S'Acratissimæ Cæsareæ Regiaeque Majestatis,
Dominii Domini nostri Clemētissimi Nomine,
Augustanae & Helveticæ Confessionis ad Au-
gus-

Augustissimam aulam cum gravaminibus,
 pro eorundem complanatione, Ablegatis, Pleni-
 potentariis, & Agentibus hisce significandū.
 Altē memoratam suam Majestatem Sacratissi-
 mam gravamina bæreditarii sui Regni Hun-
 gariæ Augustanæ & Helveticæ Confessioni ad-
 dictorum fidelium subditorum suorum, circa
 turbationes, aliasque molestias, ipsis in Reli-
 gionis exercitio, contra Articulorum Diætali-
 um tum Soproniensium de anno 1681. tum Po-
 soniensium de anno 1687. crebrius instanterque
 delatas, prout alia etiam quæ ad Religionem stie-
 stare videbantur puncta, eorumq[ue] circumstâ-
 vias, ritè matureque pensitâsse, considerâsse,
 ac benignè ita resolvisse nimirùm : siquidem
 Universi præfatæ Augustanæ & Helveticæ con-
 fessioni addicti querulantes, præcitatis Articu-
 lis inhærentes eorundem effectuationem una
 cum Catholicis, articulari commissione medi-
 ante genuino præfectorum Articulorum sensu
 fiendam adursissent ; ejusmodi autem commissio
 actu etiam jam peracta esset, eidemque præser-
 tim in cis Danubianis, ac trans Danubianis
 etiam partibus, districtibus utraque pars ac
 quievisset ; nihilominus aliqua contra sensum
 ipsorum articulorum per dictos Comissarios
 facta aliqua nondum effectuata, alia denique ex
 post

post, per abusum quorumvis ab utraque parte, propria authoritate introducta fuisse exponerentur. Ideo de præsenti etiam eadem sua Cæsarea & Regia Majestas eorundem Articulorum benigna reflexione habita propter bonū pacis, internamque Regni tranquillitatem, in eo, ubi publico exercitio se prorsus destitutos iidem querulantes lamentarentur; ibi sua Sacratissima Majestas ulterius articulari determinationi ita standum esse censuit: ut videlicet in locis articulariter pro libero publico exercitio expressè denominatis, liberum ejusmodi publicum Religionis exercitium iisdem querulantibus admittatur, ita tamen: nè debitos limites excedere, & ad loca articulariter omissa excurrere præsumant: securè tamen plebs talium locorum tempora in ejusmodi articularibus locis assignata frequentare, Ministros suos accedere, publicèque exercitio suo ibidem uti possit, ac valeat. In quibus locis veluti articulariter pro exercitio eorundem expressis, Parochi Catholicorum ex ærario communi, ad quod ipsi querulantes contribuunt, non interteneantur: imd ibidem Xenodoxiis, sepulturis, Campanis, pro communi usu destinatis cum Præscitu Parochi & aeditui uti, fruique permittantur; neque ad amplectendam fidem

Ca-

Catholicam ubique per totum Regnum cogantur: Attamen Ferias & Festivitates Catholicorum quoad publicum, & forum externum observare teneantur; & id tantò magis Opifices seu Mechanici, in quorum privilegiis id ipsum per expressum inseri assolet. Ideoq[ue] si placet in reliquo ejusmodi gaudere privilegiis, præscriptæ quoque conditionis onus subire tantò minus displicere, debet. De reliquo Ministri Augustanae & Helveticae Confessioni addicti, ab omnibus actibus Parochialibus uti est: Baptisare, copulare, sepelire, & similibus, tanquam ad exercitium publicum spectantibus, in locis, ubi articulariter iis concessum non est, omnino supersedeant, neque eo excurrant; si quidem plebi in ejusmodi locis degenti liberum esset ejusmodi ministros, & tempa in locis articulatis habita accedere, seseque ibidem Baptisari, Copulari, sepeliri curare, & alias Devotiones facere: proventibus tamen stolaribus Parocho loci Catholico præviè depositis. Quibus decimas etiam in toto Regno Hungariae à Sanctissimis Regibus DEO & Ecclesiæ Catholicæ ministris dumtaxat Ordinatas præstare sunt obligati: præter decimas, si quas forsitan ipsi, aut suæ Religionis prædecessores à terris, & vineis suis propriis nobilitaribus, & decimis

mis regalibus minus antea subjectis, sponte
et liberâ voluntate, pro intentione suorum
olim ministrorum Deputâssent.

Quod verò ad Generalia puncta, quæ uni-
versi Augustanae et Helveticæ Confessio-
nis equaces diversimodè interpretari videntur,
et cum Facultate in Arcibus, Castellis, Cu-
riisque nobilitaribus Capellas et Oratoria eri-
gendi, in quovis tali loco prædicantes interte-
nendi Authoritatem se habere, præterea vigo-
re articularis Clausulæ (salvo jure Dominorū
terrestrium) de subjectione solummodò jobagio-
nali, jureque servitutis Corporalis intelligi,
non verò ad conscientias trahi debere, puta-
rent; eataliter intelligenda esse, alte fata sua
Majestas Sacratissima declaravit, et quidem
quoad primū, Facultatem erigendi Capellas et
Oratoria, pro privatis duntaxat inibi haben-
dis precibus et sepulturis concessam, et in illis
cum familia sua, prout et in locis articulariter
omissis, cuivis in Domos sua orare, Postillas le-
gere; nullatenus tamen alios Vicinos, vel pro-
prios subditos, tantò minus Prædicantes ed,
tanquam ad privatum duntaxat suæ Domus,
aut Residentiae orationis locum admittere inte-
grum esse, aut licere. Non secùs quoad secun-
dum, et quidem prædictæ clausulæ (salvo ju-
re

re Dominorum Terrestrium) non obstante præmissâ ipsorum querulantum ratione, veluti in articulis expressæ omnino standum esse, & consequenter ipsos querulantes eidem se submittere debere; siquidem omnis clausula Regalis in eo sumenda censetur sensu, quo debitum suum sortiri quiret effectum; in sensu autem eorundem querulantum effectu prorsus destitueretur. Nam jus Dominii terrestris in subditos, quo ad servitutem Corporalem, aliisque quæcunque temporanea, qualitercumque mutato Religionis statu, absque hoc salvum & immutabile semper manet: præsertim cum hoc ipso clausulæ ipsius sensu, ipsi quoque Augustanæ & Helveticæ Confessionis sequaces, olim pluritate & potentia Dominorum Terrestrium præpollentes, in ejusmodi effectum antea usi fuissent, adeoque quod semel iisdem placuit, ac pro justo & aequo positiva lege agnatum recognitumque fuisse; id modò disciplere, aut Catholicis iniquum reputari minime posset.

Ad quorū nimirū debito modo fiendam executionem, rectificationem & accomodationem, quam primū certos deputandos fore Commissarios, coram quibus particularia quæcunque alia gravamina iidem querulantes in

in facie loci, & parte alterâ præsentē, producere poterunt, juxta rei æquitatē, resolutiōnēmque hanc ipsis intimatam, postulatorum suorum effectum præstolaturi, quibus de cætero eadem Sacratissima Majestas Cæsarea & Regia, gratiā suā propensā semper permanet.

PER SACRATISSIMAM CÆSAREAM REGIAMQUE MAJESTATEM.

Viennæ Die 2. Mensis Aprilis Annō 1691.

RESOLUTIO
EADEM DATA EST HOC
ANNO 1701. AUGUSTANÆ ET
HELVETICÆ CONFESSIONI AD-
DICTIS, ITERUM SUA GRAVAMINA
PROPONENTIBUS; HAC ADDITA DE-
CLARATIONE.

Primo. Exercitium Augustanæ & Hel-
veticæ Confessionis supra dicta ratione
con-

concessum est tantum in iis partibus Hungariae, quæ Annō 1681. in actuali suæ Majestatis Sacratissimæ potestate erant: undè in partibus hoc bello recuperatis nullum jus est alterius à Romana Catholica fide exercitii. Ideò sua Majestas jus Patronatū omnium Ecclesiarum in neo-aquisitis sibi reservavit in eo casu, quo illud ad Acatholicos devolvi deberet.

Secundò. Cùm exercitium Augustanae, & Helveticæ Confessionis compluribus in locis articulatius nominatis solum ob eam causam concessum sit, quod confinia fuerint; clarum proinde est, ibi publicum Acatholicum exercitium tolerari non debere, ubi confinia esse desierunt.

Tertiò. Quando in quibusdam locis articulatius nominatis concessum est Augustanae, & Helveticæ Confessionis non ideo censeri debet esse concessum; ut ullus à Catholicis Apostatam agat, & ad Acatholicorum confessionem transeat, maximè talis, qui ab Augustana, vel Helvetica confessione per fidei Catholicae professionem aliquando recesserat. Contra tales enim, qui à fide Catholica deficere, tanquam contra Juris-jurandi violati reos jure in Patriæ legibus prescripto procedi poterit.

His expeditis calamum iterum ad Solnenses retrahimus. Tantis aucta progressionibus triumphabat Hæresis, & pro libidine omnia agebat, nihil sibi amplius à Celsissimo Principe, & Domino suo, nihil ab aliis metuebat ; Rakoczy successus suos rata, ne somniabat quidem, utolim se conversam ingemiscat. At longè res aliter accidit , misertus est DEus aberrantium, sensim tenebras dispulit, ut agnoscerent, quām temerē deviāssent. Penetraverant jam Rakocziani ad partes trans-danubianas, in obvios pagos , oppida , Castella grassabantur impunē, quum repente omnia in pejus vergere, imminui tumultuantium numerus, eò delapsum subindè; ut iteratis præliis fusa, fugatāque factio in superiore Hungaria asylum quæsiverit. Fuga tam insperata, gravem hæreticis injectit sollicitudinem , dum omni se præsidio destitutos ingemuêre. Crevit dolor ad adventum Excellentissimorum Dominorum Ladislai Ebergény, & Hohperc Cæfarei utriusque Tribuni. Jussi erant heroes isti cum suis Legionibus reliquias hostium è Comitatu Trenchiniensi penitus pro-

profligare. Ubi Solnam cum suis cohortibus tenuissent, vidissentque Catholiconrum statum adeò depresso; ut dum Ecclesia Parochialis pestiferis lutheri dogmatis, ritibusque profanaretur: Sacerdotes veri Immaculatam DEO hostiam offerre, & fideles Christi debitum DEO cultum, in angusto Patrum Societatis JESU triclinio interea præstare cogerentur; non ultra ferendam tantam Lutheranorum præsumptionem decreverunt. Accessit præterea, quod illo ipso tempore Pater Andreas Michalovics è Societate JESU, & à Concionibus, & Apostolicis operationibus meritissimus è viuis cesserit, nec ubi condigne humatur, erat; tantæ proinde rei Catholicæ necessitatì medelam allaturi, die proximâ quæ erat 20 Decembris anni 1708. mitiuit Adjutantium, ut vocant, ad ædium (Prædicans aut fuga sibi consuluerat, aut in tenebras se conjecterat) petitionum claves templi, quibus Cæsarea militia opus haberet. Reluctabatur initio, sed in conspectum adductus, seriöque cōmonitus, paruit mandatis. Patefactis proinde foribus, Ecclesiam A. R. D. Josephus

sephus Josephovics Capellanus Illustrissimi Domini Ladislai Ocskai Pro Tribuni Cæsarei reconciliavit, actisque hymnō Ambrosianō DEO optimo, Maximo Gratiis, solemni ritu festivos inter Tuberum, Timpanorumque strepitus, majori hostia litavit, præsentibus Solnensibus Catholicis, & magno Officialium bellorum numero. Eodem die sub horam quartam missus est à gloriosis vindicibus, qui claves Templi detulit, factum recensuit, ac R. P. Superiori impensè commendavit, ut pergeret cum socio suo Patre, Pusillo licet Catholicorum gregi spiritualibus adesse obsequiis; proximo proinde ab hinc die, funus superius nominati Patris Senatorum, & primorum Ci-vium humeris, magno quidem lutheranorum ob eruptam sibi Ecclesiam luctu, sed majore Catholicorum gaudio templo illatum, & absoluto ritu solemni requiem, in cripta positum est; è qua sub idem tempus, Divorum Ignatii, & Francisci Xaverii simulacra, compluriūq; Sanctorum elata, & altaribus locisque suis reposita sunt; à quibus per lutheranos detracta, & per contemptum tumulata fuerant

erant, qui etiam (si par voluntanti facultas fuisset) religionem eodē funere tumulatur erant. Hoc itaq; modò, & Catholicis Ecclesia, & Ecclesiæ sacerdotes veri restituti sunt. Ita nimirūm vera Pietas magnanimo juncta pectori, facile id unico effecit die, quod multorum Annorum videbatur negotium. Ad rumorem tam improvissum trepidatum est apud vicinos hæreticos, & præsertim occisis, plenèq; prostratis Rakoczianorum Reliquiis. Nec vana erat trepidatio; nam anno saeculi hujus nono jubente Augustissimo Cæsare, negotium datum Comitatui Trenchinensi; ut dejectis iniqua possessione pravorum dogmatum seminatoribus, lupisque animarum, veris Pastoribus Ecclesiæ restituerentur. Executus est brevi sanctissimam voluntatem, Principis sui Magistratus Comitatensis, semper à fidei Orthodoxæ defensione celebratus, & una campum aperuit Zizania agro Dominico intpersa, Apostolicis operariis extirpandi. Absterserunt non nihil dolorem Catholici, & lachrymas, quibus triennium, & amplius deplorabant fatales strages ab hæresi inflictas, ipse

imprimis Celsissimus Pro-Rex quod magis tot ruinis animarum indoluerat, eò majoribus incessit lætitiis, tempus avidissime desideratum adesse. Quod vero hæresim jam perterritam, sibiq; male ominantem penitus exanimaret, redditus Parochiæ vel minutos, vel abreptos in pristinum statum reponi imperavit; ut & operariis idoneis sufficient alendis, & iis, qui templi obsequiis occupantur, haberetur unde merces de promatur. Extant Literæ Celsissimi ad Magistratum datæ, testimonium facturæ voluntatis in bonum Religionis propensissimæ.

Prudentes, Circumspecti.

Displicenter animadvertisimus, qualiter vos proventum Cervisialem, & Carnisationis ex antiqua terrestrium prædecessorum nostrorum fundatione pro scholaribus Romano-Catholicis deputatos, & stolarem etiam detinere-tis. Quod siquidem facinus vestrum nihil aliud, quam in cordibus vestris alicuius adhuc serpen-tis latens virus retineret. Ea propter hisce vobis Authoritate nostra terrestri Dominali serid injungendū esse duximus; quatenus omni cun-natione eversa, adfutum proventus eosdem Pa-

rochiæ Romano-Catholicæ ibidem existenti pre-
stare debeatis. Secùs enim, Terrestris Domi-
nalis animadversio nostra eandem pertinati-
am vestram certò certius est vindicatura. Po-
sonii die 14. Januarii 1709.

DD. VV.

Benevolus
PAULUS ESTERHAZI

Neque hic stitit Zelus. Posteaquam
enim ablata per injuriam reddere
compulisset, salutis subditorum suorum
cupidissimus Princeps, ad reparanda de-
trimenta conversus, quid quid de statu-
tis suis convulsum erat, confirmavit.
Cùm verò per publica Regni negotia
ipse adesse nequiret, Posoniō Perillustrē
Dominum Nicolaum Jeszenszki sibi à se-
cretis Epistolis, Solnam proficisci jussit,
daturum operam; ut quæ à R. P. Superi-
ore pro instauranda pietate Catholica in-
ducenda judicarentur, ordinaret. Vo-
luntatis hujus testes misit litteras 14 Maji.
1711. ad R. P. Superiorem Stephanum
Fischeméni exaratas,

RE-

REVERENDE IN CHRISTO PATER
 Superior.

Secretario nostro ibidem existenti scripsimus
 ex superabundanti, & eidem commissimus,
 ut si quis defectus factus est, Zelum Religio-
 nis Catholicæ restauraret, & omnem eatenūs
 instructionem, ac commissionem nomine Nostro
 moderno nostro Provisorī relinquat.

Viennæ Mense, & Annō ut supra.

Reverentiæ Vestræ.

Ad serviendum paratus
PAULUS ESZTERHAZY.

Hucusque labores, & præclarissimi
 conatus Celsissimi S. R. J. Principis
 Hungariæ Palatini Pauli Eszterhazy, à
 quibus continuandis Heröem hunc Incliy-
 tum nec temporum iniquitas, nec hæ-
 reticorum Technæ, ac pervicacia, nec
 aliorum dissimulatio avocare unquam
 poterat. Amor enim Religionis quô
 succensus erat, non sinebat otiosum esse,
 &

& tunc demum quiescendum sibi existimavit, dum quantum pro DEO agere poterat, egisset. Hinc colliget Lector, plenas esse inanitatis excusationes eorum, qui se verè Catholicos ferunt, interim nihil agunt, nescio quibus persuasi argumentis. Manebit enim verum: quis quis pro DEO sincere laborabit, sufficiet robur DEUS, ut victor evadat, plurāq; agat, quam sperabatur posse.

Paragraphus Secundus.

Excellentissimus Dominus Comes Georgius ERDÓDI (titulus) statim, ut possessionem Solnæ accepit, Celsissimi Principis Antecessoris sui, in promovenda Religione Catholica Zelum strenuè prosecutus est.

Exemplō suō pariter id docuit vestigiis exacte insistens Prædecessoris sui, Excellentissimus Dominus Comes Georgius Erdödi Junior; cui Celsissimus Solnam cum vicinis Bonis Eszterhazianæ hactenus ditionis transcriperat. Dum enim obtinuissepossessionem, primas in-

ter curas Religionem pristino decori restituendam collocavit. Quam dignissimam se voluntatem, ut facilius prospero fine coronaret; à primoribus oppidi orsus, sancivit: nè quis amplius Senatorū numero adscriberetur, aut decedenti Magistratu subrogaretur, nisi Romano-Catholicus esset. Sapienti id sane consilio, ut nimirūm per senatum orthodoxum accuratiūs in opus redigerentur sancita, quibus hæresis nè serpere possit reprimebatur, Superioribus quidem jam annis à Celsissimo promulgata, nunc verò aucta ab Excellentissimo, ad observandumq; proposita sunt, ordine, ut seqūitur.

Primò. *Diebus Festis, & Dominicis non impediti legitimè, Sacro, concioni diligenter intersint, secùs deprehensi punientur.*

Secundò. *Nulli hæretico liceat Solnæ Bona ulla comparare, nec domos, terras, fænilia, & alia accessoria à dato promulgationis, & si quæ empta fuerint, ipsò factō cadant ad Fiscum. Demandatur sub pœna fl. 100. Judici bujus loci, ut statim ipsò factō insinuet Inspectori meo, & nullatenus admittat hæretico emere bona, ut supra declaratum est.*

Ter-

Tertiò: *A Dato promulgationis nullus amodò hæreticus admittatur in oppido Solna se collocare, nè amplius in Civem, & in quiliū, admittatur sub pœna declarata. Judex verò Oppidi sub pœna fl. 100. non admittet, & ipsò factò Inspectori notificabit.*

Quartò: *Nullus hæreticus Bibliopolarum libros hæreticos audeat in nundinis palam, & occulte vendere sub pœna confiscationis; quorum cura maxima habeatur, & tempore nundinorum Judex sub pœna declarata vigilantes habeat oculos, nè similium pestiferorum librorum venditio fiat; nam si manifestabitur, & vigilantia Judicis neglecta fuerit, ex tunc Judex pœna supra declarata convincetur.*

Quintò: *Nullus hæreticus extraneus amo dò imposterum admittatur Solnam ad descendū aliquod opificium. Idcirco Judex curam in eo habeat, si extraneus hæreticus se hīc Solnæ locare velit, aut opificium discere intentionaretur, nullatenus admittat.*

Sextò: *Nullus hæreticus ad servitium ser vus, & ancilla ultra præscriptum iisdem tempus admittatur: si converti recusaverit, illicè ex servitio dimittatur sub pœna præcripta.*

Septimò: *Nullus Solnensis in gratiam lingue alicujus addiscendæ, vel mercaturæ etiam ad-*

"addiscendæ, aut scientiæ alicujus ad hæretica loca, seu Civitates, multò magis ad scholas audi-
at mittere filios, aut filias.

Octavò: Cæterus opificum vexilla sua ha-
beant, quod per expressum demandatur, & de-
claratur sub pœna prædeclarata, & in festo
Corporis Christi specialiter processioni interef-
se teneantur.

Nonò: Inhibetur serid, & per expressum
demandatur, cum consueverint aliqui tam per-
versæ duricie obnoxii, ut etiam prætermissa
frequentatione Ecclesiæ DEI, contra mandatū,
non Ecclesiam DEI, verùm synagogam in Bi-
ciscfa frequentare: amodò imposterum à fre-
quentatione synagogæ Biciscensis abstineant,
sub pœna fl. 12. à quolibet frequentante toties,
quoties in sede Dominali irremisibiliter exigendā.

Decimò: Cum maximi excessus inter hæ-
reticos oriantur; igitur secundum puncta por-
recta sciet se Dominus Inspector dirigere, & à
me sibi puncta data manutenere; Judex verd
hujus loci assentiam præbere, eumque jure
Dominali manutenere, ipsosq; in quo violave-
rint, quâ violatores in sede Dominali convinci
faciat, pœnamque exigere minime intermittet.

Un-

Undecimò: Seriò etiam attendet præspecificatus Judex, ut copulationem Matrimonii nullibi Lutheranis inire liceat, præterquam in templo Parochiali Solnensi, sub pœna superius declarata à contravenientibus irremisibiliter exigenda.

Solnæ 17. Septembris 1712.

Comes Georgius Junior
Erdödi

DUM his repagulis constricti essent hæretici, nè virus Lutheranum latius restagnare posset, palam gratiari non audebant, pacatō præsertim jam Regnō benègnari, hæresim tumultibus delectari, ut scilicet appareat, quō Patre genita esset omnis discordiæ Auctore, occulte mussabant, & veteres fraudes recoquere decreverunt. Verùm dum Annō vertente 1713. 30. Julii rerum suarum satagunt, deridiculo Prædicantem, & se sollicitudini magnæ objecerunt: res ut accidit referetur. In infirmitatem fortè inciderat Vanoczy superiùs jam nomina-

ti

ti opificio Cothurnarii Uxor; huic pro-
videre volebat de Ministro, qui Cænam
lutherico ritu porrigeret: dum in omnē
occasione intēdit, Joannem Czepatiū
non indignum sui nominis primitivo
convenit in vicinia oberrantem, aperit
sua sensa. Nihil gratius vafferrimo tene-
brioni auditu fuit; tum quia opportuni-
tatem avidè operiebatur ad suam socrum
revisendi, tum etiam quia ab Illustrissi-
ma Com. Balassiana pietati in DEum,
& Superos addictissima, ex Scavnikensi
ministerio, nè plebem posthac seduceret,
deturbatus, ventrem suum è Præceptis lu-
theri farcire, guttûrque humectare do-
ctus, jamq; precariô victitans pingues Sol-
nensium culinas odorari cupiebat. Sub-
timebat tamen initio; at ubi omnis secu-
ritas promittebatur, condixit. Stetit
promissis, subingreditur quām occultissi-
mè Vanoczii Domum, & cesile è voto
fraudem gratulatur. Curta admodum
fuit lætitia. Dum enim horâ sextâ ma-
tutinâ loci Parochus Missæ Sacrificium
perficit, adest nuncius, & D. Præcepto-
rem Georgium Krcho admonet, in domo
Czepiana Prædicantem latere, sequitur

è ve-

è vestigio indicem, ingreditur cubiculū inferiū, quærit ex Vanochio, ubi Uxor ægrotaret, & an velit advocari è Patribus unum, qui ad felicem æternitatem disponat: Buxo pallidior stetit ad insperatam interrogationem, & penè obriguit; reponit tamen in fornice decumbere, nec opus esse aliquem fatigare, valere meliusculè; ex fracta, titubantēq; voce advertit ream conscientiam, & dum, quid factō opus, discutit, hospes in fornicis superiore parte admonet de periculo. Tentat interim D. Krcho fornicem intrare, at frustra; filia enim properè obseravit. Itum subinde in sententias, quid cum Prædicante factō opus, multa filiæ, multa matri occurrabant, retruditur primū infra decubentis lectum, mox damnatur consilium, tutiora denuò consilia exquiruntur.

Liceat hic uti verbis ferè R. P. Angelini Gazæi, qui in piis hilariis ferè similem depingens Jambô lavernionem, nostri hujus sollicitudinē egregiè expressit.

Postica non est Janua, haud est angulus.

Quod se abdat ullus, & fenestra est altior.

Nec caminum scandere misero licet.

Quid

Quid agat? Asylum restat unū, & unicū.
 Erat arca scrutis hic referta plurimis.
 Huc ille quantus, quantus est, se se infodit.
 Thesaurus ingens sordium, silentio.
 Occlusa cista, spiritum, & tuſſim præmit.
 Nec tamen in antro hoc non ſuo muſtuſtus eſt.

In terea peractō sacrificiō advenit R. P. Superior cum D. Capitaneo, ac fideli manu. Excutiunt diligenter singulos angulos, minas intentant, impunitatē pollicentur, dummodò prodat latibulū. Vanochius metuens ſibi ab investigatoribus tam ſolicitis, declinaturus periculum, fuiffe conſitetur, ut cothurnos auferret; at jam regressum, unde venerat. Actum egit; excutitur iterum fornix, pilieus deprehenditur latitantis, hinc ſuſpicio, forte ciftæ intrufum; elatam igitur ad vestibulum domū ſubjicitur Vanochius recludere, negat ille ſuam eſſe, ſed ad molitorē Bifcicensiēm pertinere, mendacia mendaciis accumulans, perditè aſſer- verat. Deferendam aliqui ſvadebant ad Templum, alii à fabro aperiendam, brevi ſiparūm apertum eſt, & fabula patuit. Prodiſit ſe hircus, dum nescio quid in- gra-

gratum exhalavit è sepulchro suo. Hos-
pes jam desperatum esse videns, claves
offert; reseratur, elevat caput Prædicans.

*Quid fuerit animi? quid pudoris? quid me-
tus?*

Nostro Ministro, suspicarier licet.

Gallina vulpes inter ut pallet duas,

Intérg, felles musculus perterritus,

Tremit Minister, tantus hunc ussit metus:

Ut ova pressa pectori possent coqui.

VErba sunt iterum citari Authoris. E
suo latibulo occultus haec tenus in-
ter scruta vespertino egreditur, longiorā
castigandus meritō ergastulo: nisi ad po-
tentest hæreticorum obtestationes, ita vo-
lentibus Excelentissimo Domino Diœ-
cesano, & Excellentissimo Domino ter-
restri dimissus fuisset.

Infausto Czepeti casu edocti, de oc-
cultando scētæ suæ Ministro despera-
runt, quo circa ad pestilentis libros con-
versi, quos facilius oculere possent, lu-
theri dogmata tueri constituunt; at &
hic majorem fuisse Catholicorum vigi-
lantiam, atq; ut deceptioni pateret locus,
eventus docuit. Delatus est ex partibus
Calvino, & luthero devotis per passum

Kiszuczensem ad Tricesimam Solnensem
benè magnus librorum perniciosorum
fascis, mox diripiendus; nisì R. P. Su-
perior pro data sibi ab Angustissimo Mo-
narcha, & Excellentissimo Diœcesano
potestate, attineri jussisset, usque dum
quid cum hac fupellectile faciendum,
stabiliretut. Malè sibi conscij ante signa-
ni, Viennam, Posonium, percursorant,
si quem in partes suas adhamare queant.
Nihilominus tum ordinario Nitriensi,
tum Domino Terrestrio strenuè obniten-
tibus, spes omnis intercepta est, librisq;
venenatis privati sunt. Extant litteræ
Reverendissimi Domini Adami Gyûri
Archî-Diaconi Trenchiniensis 16. 8bris
Anno 1724. Ad R. P. Superiorum datæ, ex
quibus omnia dilucidè colliguntur.

ADMODUM REVERENDE PATER Superior

REsolutioni mihi tam ab Excellentissimo
Domino Episcopo Diœcesano, quād etiam
à sua Majestate Sacratissima per Excelsam
Cancellariam Hungaricam datæ inhæreat Re-
verentia Vestra, neg, aliam expectet, nimirūm
si libri sunt prohibiti, quales censentur omnes
hæ-

bæretici) faciat cum illis quid quid liber, sive
comburi in privato faciat, quod magis expedite,
sive dilacerari, nè sint usui. Oppositam certe
resolutionem à sua Sacratissima Majestate non
aquirent, cùm simile semper in simili in consi-
liis sanis resolvi soleat.

Trenchinii Annô & Die ut supra.

Compessâ hōc modō audaciâ, nihil
amplius anno currente tentâsse ob-
servati sunt; Primores tamen ad saniora
obfirmaverant animum aspernanda, imo
puncta memorata ausi sunt violare. Ut
horum comprimeret transgrediendi li-
centiam, Anno vertente 1715. 17 Julii,
dum pro censurandis Officialibus ad Ar-
vensem haberet iter Comitatum Excel-
lentissimus Comes, Solnam divertit, co-
actoq; Magistratu, suorūmq; bonorum cu-
ram habentibus aedesse jussis, omnia jam
statuta prælegi imperavit, confirmavit,
executionem commendavit. Nè verò
ebduratorum consuetudine aliis pericu-
lum crearetur, diem præfixit, quō Eccle-
sia omnium Sanctorum memoriam re-
colit, ut nisi resipiscant, Solnâ emigrent,
Carituros imposterum beneficio Cervisiae

distrahendæ, è qua Oppidum hoc & emolumenti multum, & famæ colligit; aliis item Civibus, communibus non fruitoros commodis, ut certum habeant, denunciavit.

Accepit præterea ad repurgandam Solnam multum salutare Excellensissimi Domini Ordinarii imperium, quod jubebantur tum Solnenses, tum vicini Sacri Curiones libros hæreticos, confiscare, his autem erat concinatum verbis,

Si quidem ex Fide dignis Personis intellectimus, quod plurimos libros hæreticos Sanctæ Religionis Catholicæ præjudiciosos, mores Orthodoxorum Christianorum corrumpentes, & saluti animarum pernitiosissimos, non solum ex terris Imperialibus per passum Kiszucensem, Diœcesi nostræ adjunctū Solnam inferri, in hocce Rgnū Hungariæ Mariano-Apostolicum; verum etiam in Oppido Solna in certis domibus detineri, ac in iisdem servari (neglectis Divinis in Ecclesia peragi solitis concessionibus) à quibus dum Acatholicis Civibus prælegi, per quos quam plurimi in sectis suis confirmatur, & quibus esset bene animi dispositi ad conversionem, à fide Orthodoxa abstrahuntur. Ideo vigore harum tribuo pleni-potentia-

am, & serio mandato tum P. Superiori Residentiae Societatis Jesu Solnensi, quâ Parocho loci, & vicinis Plebanis hujuscemodi libros confiscandi, & apud quos reperti fuerint, auferendi. Datum in Thermis Trenchinij. Die 30. Maii 1718.

Ladislaus Adamus Comes
Erdödi Episcopus Nitriensis.

(L.S.)

Paragraphus Tertius.

Post tot variationes, & temporum, & Dominorum Solnam possidentium; tandem ita efficaciter volente Excellentissimo Domino Comite Georgio Erdödi Solnaiota, Romano Catholicam Fidem professâ est.

SAlutaribus attritam Decretis hæresim, Patres profligare aggressi, laxaverunt retia Evangelica in capturam, & multos omnino Cœlesti luce collustratos, concludebant. Plures conclusuri erant, remoram objecit Rabula Bicsicensis. VI

dentes namq; desperatum esse de Prædicante Solnam inducendo, pertinaces in hæresi, Bicsicsam clam commeabant, virus, quod ipsi hausissent, domesticis afflaturi.

Advertit Clandestinum consilium quidam, admonetur Magistratus, qui pro imposito sibi munere mulctis cōfvetis audaciam cōrcebat. Durum id nimis, & acerbum videbatur, toties nimirūm fraudes suas in lucem prodire. Ergo collatis sententiis, aliâ viâ libertati se reddere attentant. Libellum proindè supplicem consarcinant contra R. P. Georgium Szuhai, multis accusationibus refertum, nec de erant, quæ similes molitiones promovere solent, adjumenta: deligitur Viennæ agens exitum optatum procuraturus; querelarum capita erant sequentia.

Primò: Patres Societatis JESU Solnensem Parochiam administrantes, hæreticos copulare Matrimonialiter nolint.

Secundò: Quod nolint in Cæmeterio Catholicο defunctorum lutheranos sepelire, nisi convertantur.

Tertiò: Quod filios eorum nolint aliorum ad

*ad scholas lutheranicas permittere , multan-
do Parentes eò exmittentes proles suas.*

Quartò: *Quod Puerperas non conversas ,
non velint introducere.*

Quintò: *Deniq; quod arceant ab Orato-
rio Bicsicensi.*

CÆterum, ut sinistris delationibus pon-
dus adjicerēt, in calce libelli apposu-
erunt, nihil horum ante commissionem
Pestiensem auditum Solnæ, nihil simile se
expertos, omnia recenter excogitata es-
se. Edocti Patres , quid hæretici medi-
tarentur, nihil omissere diligentia, quô
falsitas accusationis detegeretur ; dein
de ut Bicsensis Minister ab exercitio ha-
bendo inhibeatur. Secundum hoc tar-
diores progressus habuit, primum brevi
finem accepit; posteaquam facile ostend-
sum est, longè ante commissionem Pestie-
ensem ex statutis à Celsissimo Principe
Annō 1698. consequentibus annis ab Ex-
cellentissimo Domino C. Georgio Juni-
ore, Ladislao Adamo itidem Erdödi Cla-
rissimo Nitriensium Præsule, Solnam sub-
missis, & longo usu roboratis. Intér q;
documenta, duo præcipue multūm pon-
deris addiderunt. Primum quidem R.

P. Georgio Kuti tunc Superiori, à Reverendissimo D. Adamo Gyūri missum, sequentis contextus.

Decretum novissimæ Resolutionis Innocen-
tij XII. Pontificis Maximi ad Instan-
tiæ Eminentissimi Cardinalis à Kolonitch Ec-
clesiæ Metropolitanæ Strigoniensis Archi-Epi-
scopi, Annō 1695. die 4ta Februarij emanatum,
quod taliter sonat :

Venit Mandatum Româ à Pientissimo, ut
omnibus Parochis prohibeatur assistentia
in contrahendis Matrimonialibus, ut dum
una pars Acatholica contrahere vellet, cù altera
Catholica expressè prohibeatur, & assistentia
denegetur, & hoc intimari pro nunc ubiq. de-
bet. Et si tales Matrimonium constrabentes,
sub alia quacunque conditione curaverunt se
copulari per alios, aut per Prædicantes, Ma-
trimonium erit irritum, & nullum. Contra
quos viâ juris procedetur. Id ipsum Excel-
lentissimus Dominus noster Episcopus Diace-
Janus promulgari ubique mandavit.

Trenchinii 24. Aprilis 1716.

(L.S.)

Adamus Gyūri Archi-Dia-
conus Trenchiniensis
Do-

Documentum alterum erat inquisitio illa, quam Excellentissimus Diœcesanus Anno 1724 per processus Superioris Judicem Nobilium, & Juratum Assessorem peragi curaverat; ex qua dilucidè ostendebatur, ante comissionem Pestensem in Bicsicsa publicum Exercitium admissum nequaquam fuisse.

Quae ut minus Cavillationibus hæreticorum essent obnoxia, ex comissione Spectabilis Domini Christophori Ugronovicstunc V. Comitis de novo accurantè investigavit, Perillustris D. Andreas Gyurcsani, tunc Judex Nobilium, & Perillustris D. Adamus Akay Juratus Assessor in Curia Solnensi. Primo quidè utrum Comunitas libellum suplicem cōfici voluerit, Suæ Majestati Sacratissimæ præsentandum? Secundo, utrùm puncta quinque accusationis sub Celsissimo Principe Paulo Eszterházy quondam Domino Terrestri, & Excellentissimo Domino C. Georgio Erdödi moderno sint introducta? num observata? vel ab annis tantum post Pestensem commissionem?

Uträque hæc inquisitio Authoritate legitima roborata, cum aliis fidem

facturis, ita volente consilio Excelso Locum-tenentiali, Potonium missa sunt. Patuit veritas detectæ hæreticorū officiæ. Expeditum est Decretum ad Inclytum Comitatum 1725. quō districte imperabatur, ut Religio Solnæ in eum statum, in quo fuit ante commissionē Pestiensem reponatur. Perle&tum est Annō dictō die 18. 8bris in Congregatione Generali, in Libera Regiaque Civitate Trenchiniensi celebrata.

Comissa est igitur executio processus Superioris Judici Nobilium, ut primo quodq; tempore Solnā proficiscatur, & perle&tto Excelsi Consilii Decreto coram Senatu, Communitatēq; tam Catholica, quam hæresi adhuc immersa. Parochū loci in eum statum, quo constabat ante dictam commissionem Pestiensem illum fuisse, statim restituat: Magistratui verò, ut assistat, ac in refractarios seriò animadvertat, imponat. Solnæ rebus confectis Bicsicsam divertat, ad L. B. Calisianam, Prædicantem sede sua depulsurus. Fecit exactè imperata D. Judex Nobilium, explicuit Solnenibus Consilii Regii Imperium; in Bicsicsa verò cùm Do-

Dominam non reperisset, per Provisorē significavit, quod jubebatur; Prædicantem autem ipse admonuit. Placuit hic subjicere mandatum Suæ Majestatis, quale nam in hoc negotio ad totum Regnum emanaverit.

සෑමලේ සෑමලේ සෑම පිටු සෑමලේ සෑම
EMINENTISSIME ,
Excellentissimi , Reverendissimi ,
Reverendi , Illustrissimi , Spectabiles
ac Magnifici , Egregii Nobiles
Domini .

Tamen si quidem sua Sacratissima Cæsarea Regiāq; Majestas, D. Dominus Noster Clementissimus, pro ingenita pietate sua, jam iteratis vicibus clementer resolvisset, idq; omnibus Regni Comitatibus serid, ac districtim intimasset; ut negotium Religionis, quo ad Augustanæ, & Helveticæ Confessioni addictorū Exercitium, idq; qualitercūq; ingredientium, & concomitantia accessoria in statu, quo immediate ante, & sub initium Articularis Commissionis Pesthiensis eatenus celebratæ præfuerat, eosq; donec benigna desuper altefatæ sua

Suæ Majestatis subsequatur resolutio, permaneat; consequenter nullæ contraventiones, simultates, aut scandala admittantur: tantum tamen abesse perhibetur, ut hoc benignum Suæ Majestatis iteratis jam vicibus repetitum Mandatum, ex parte dictorum Augustanæ, & Helveticæ Confessionis sequacium observaretur; ut potius dietim fermè novos, & novos excessus, contraventiones, & scandala, passim per Regnum attentare nihil pensi ducant. Magistratus verò Comitatenses maneri suo in iisdem tollendis, & abrogandis, vel minus invigilent, coniveant, taliterq; querulantibus ad altefatam suam Majestatem recurrendi, & benignas Cæsareo-Regias aures diversis, iisq; gravibus querimoniis, uti jam sæpius factum est, molestandi ansam, & occasionem præbeant.

Proinde ut huic malo congruè obvietur, benignum altefatæ Suæ Majestatis mandatum accuratius observetur, consequenter Augustissima Aula ab hujusmodi molestiis liberetur; Consilium hocce Regium Locum-tendentiale, promunere, & officio suo Prætitulatis Dominationibus Vestris singulariter autem Magistratui hujus Comitatus, serio, ac districtim intimandum esse duxit; quatenus

memores officii, & Homagialis obligationis
suae, prælibatum Benignum sue Majestatis
Mandatum, in gremio sui ritè observare, &
observari facere: eóq; fine statim per Univer-
sum hunc Comitatum inquirenda inquirere, in-
vestiganda investigare, omnesq; contraventiones
simultates, scandala, præmentionatorum
Acatholicon quamprimum eadem, sive per
se modalitate inquisita, sive verd ex insinua-
tione, ordinarii Diœcesani, vel ejusdem in
spiritualibus Vicarii (quibus id, ut correspon-
dentiam cum Prætitulatis Dominationibus Ve-
stris habeant) æquè intimatum extitit: vel a-
liunde specificè ac fide dignè resciverint, per præ-
missam strictam inquisitionem, auditisq; desu-
per partibus excedentibus, in statum illum ut
compertum fuerit, contraventiones & inno-
vationes illicet in statum illum, quô immediate
ante & sub initium ante-latæ Commissionis
Pesthiensis præfuerant, traducantur: contra
excedentes verd tanquam refractories, &
Benignorum Regiorum Mandatorum, con-
temptores, & inobedientes; si mediocris statûs
Personæ fuerint, ad instantiam Fisci Magi-
stralitatis Comitatensis, servatis de jure ser-
vandis ad mentem Art. 30. Anni 1715 & in eo-
dem confirmati 26 Anno 1681. ibidemq; citati

8. Vladislai Regis decreti 6 sub pena ibidem dictata, etiam à moroso, vel coñivente Magistratu irremisibiliter desumenda, immediate procedatur: si qui verò majoris dignitatis fuerint, huicce Consilio Regio Locum-tenentiali, cum genuina, & circumstantiali rei informatione denuntientur: scandalosi autem, & quidem dierum Dominicanum, & Festorum decretalium violatores, vigore capituli 7. Decreti l. 2. S. Stephani, & Capitis 12 Decretilibri imi S. Ladislai; blispbemi autem ad mentem articuli 42 Anni 1563 & alterius 11 novissimæ Diætæ; alij verò pro qualitate, & gravitate excessum ac delictorum exemplariter puniantur. Ministri porrò prefatæ Augustanæ, & Helveticæ Confessioni addicti, sensu benignæ explanationis Cæsareo - Regiæ Leopoldinæ in Anno 1701 die 2 Aprilis emanatae ab omnibus actibus Parochialibus, uti est: Baptizare, copulare, sepelire, & similibus tanquam ad exercitium publicum spectantibus, in locis ubi articulatius concessū non est, super sedere jubeantur, & excurrere inhibeantur. Contravenientes verò æquè, ut Mandatorum Regiorum contemptores, ad mentem præcitatæ articuli 8 Vladislai Regis, legali pena afficiantur; taliterq; tum in præmissis, tum & aliis quibusvis

sive positivâ Regni Lege , sive Benignis sue Majestatis mandatis vetitis , vel alias etiam Divinis humanisq; legibus , aut bonis legibus contrariis excessibus , abusibus , & scandalis , per eosdem Acatholicos hactenus nè fors attentatis , vel infuturum attentandis , eò quô quô modô ad notitiam Prætitulatarum Dominacionum Vestrarum penetrantibus , comperta rei veritate corrigenda , immediate corrigantur , emendanda emendentur . Eoq; fine etiam cum ordinario Diæcesano suo vel Generali ejusdē in spiritualibus Vicario , Archi vel Vice-Archi-Diaconis mutua vicissim correspondentia observetur , & demùm reduc̄tio in statum , quô ante , & sub initium Commissionis Pesthiensis præfuerunt , reducantur ; contravenientes , & excedentes præviô modô irremisibiliter puniantur , ita ; ut quos timor DEI , & Reverentia Legum , ac Benignorum Mandatorum Regiorum respectus , non revocat à malo , severitas saltem disciplinæ coërceat à peccato . Super quibus itaq; rite & exactè observandis , & usq; ad ulteriorem Benignam sue Majestatis resolutionem sedulò , ac diligenter curandis , & continuandis , Consilium hocce Regium locum-tentiale Prætitulatas Dominationes Vestrar , signanter autem Magistratum bujus Comitatus

*nisi pœnam Legalem modō præviō incurrere vesi-
lit, iteratō serid commonet, & adhortatur.*

*Datum ex Consilio Regio Locum-tenententi-
ali Posonii, Die 5 Mensis Augusti Annō Dñi
1725 celebratō.*

NICOLAUS PALFI

JOANNES ADELFFI

SEriæ inhibitioni morem gestura pu-
tabatur Domina Calisiana; at pro mo-
re hæreticorum adeò non paruit; ut lu-
therano ritu exercitium haberi à Mini-
stro, è vicinia insuper Populum palam ad-
mittere non est verita. Ubi hæc temeri-
tas, & audacia innotuisset, obijicem po-
liturus Inclytus Comitatus, dum Sacros
dies Nato Salvatori Mundi celebрамus, ar-
matos aliquot, constituit dispulsuros
plebem, si fortè Bicsicam adire auderet.
Sed iterum temeritatem temeritati
impotēs sui fœmina addidit. Erupit enim
è Ca-

è Castello armatorum major manipulus, & Comitatenses verberibus, & vulneribus affecit.

Legitimæ potestati illatam injuriam dissimulare non potuit Inclytus Comitatus; quamobrem inquisitione perfecta, ipsa Domina Calisiana ad reddendam facti sui rationem evocata est, Fisco Comitatensi actionem solennem erigente, sumpsit initium sub finem mensis Augusti dies aliquot extractum est. Et licet multa excogitarunt adduxerintq; advocati, quibus aut planè immunem à culpa Dominam, de qua nobis sermo, commendabant; aut minus ream; non poterant tamen eas tenebras commentis suis offundere, ut veritas non eluceret. Itaq; æquissimâ poenâ, quia Legitimo Magistrati opponere se ansa fuit, & ad invadendos homines, ab Inclito Comitatu missos armatos è Castello submisit, ad depoñendos quadringentos nonaginta supra milles. Rhen. demptis aliis impensis insuper, condemnata est.

Sententia lata Posonium ad Excelsum Consilium Regium delata, indè Vienam
K

nam ad Augustissimum Cæsarem, utrobiq;
approbari meruit.

In opina approbatio exterruit Solnen-
ses, nec jam viris animus erat novā te-
lam ordiendi. Fœminæ quid procuderint
astutiæ paucis expediemus. Repertæ e-
rant Solnæ aliquot Mulieres, quæ malu-
erunt biennium ferè integrum domesti-
cos inter parietes se continere; quám
damnatâ lutheri sectâ Romano-Catholi-
cis se adjungere: ut hīc consveto Eccle-
siæ ritu in Templum gratias DEO post
partum acturæ, introducerentur. Atque
ut adhortationes eluderent, ad adventum
Excellentissimi Domini Terrestris pro-
vocârunt, ratæ in partes suas solitis arti-
bus pertrahendum. Agebat tum Excel-
lentissimus Dominus in Arvensi Comita-
tu. Tempus naqtæ opportunum Joan-
nem Moschek conveniunt, pollicitati-
onibus implent, & spe mercedis amplæ
consequendæ, sin votis obsecundet. Li-
benter pactus est operam suam hic ambu-
lator, texendis fraudibus mirè aptus; qui
intimè lutheri venenô infectus, se Auli-
cum Ducis Lotharingiæ, mentiebatur
perfracte, fictoq; sigillô signatum testi-

monium jactitans, Solnæ oberrabat: properè igitur emensus iter, libellum supplicem Excellentissimo tradit: quem ita dolosè coloravit, ut fateretur quidem Solnenses fœminas eo collimâsse, nè per aliū, quām Prædicantem in Templum inducerentur; nunc tamē mutâssent mentem, & paratas à Parocho ritu Catholico introduci; subticebat interim, an Fidem Orthodoxam amplecti, juxta constitutiones Dominales per Excelsum Consilium approbatas, & ante commissionem Pestiensem usu ipso roboratas velint. Quamobrem prædictus Dominus existimavit, dum introductionem per Catholicum loci Parochum postulabant, paratas esse Fœminas ad Catholica pariter dogmata sequenda. Annuit petitioni, & ad finem libelli supplicis nomen suum adjectit. Revolavit illicè Moschekius, lætæ nuncio Fœminæ, petunt introduci, de conversione admonitæ, reluctantur. R. P. Superior fraudem subeffe certus, ad adventum Excellentissimi differendum totum negotium respondit; adfuerunt tamen 15^a Julii, & præforibus existentes octo ex ijs, ab ædituo Templum claudi

prohibuerunt, per diversos votis suis sa-
 tis fieri petentes; & perexissent molestæ
 esse: nisi alterâ die adveniens Solnam Ex-
 cellentissimus, audaciam repræsisset. Ubi
 enim Decretum Consilij Regij, & Diæ-
 cesani exhibitum fuisset, fraude deprehē-
 fa, Moschekium Solnâ faceſſere jussit: nisi
 Carceres, & Vincula experiri velit. Die
 autem, quæ subsecuta est, accito Senatu,
 Maritis fœminarum, alijsq; obstinatè con-
 verti recusantibus; primùm quidem Ma-
 gistratum, quod fœminas, licet manda-
 tum Parochi sciverint, ædituum à clau-
 dendo Templo repellentes, non castiga-
 verint, reprehendit, mulctámq; fl. Rhen.
 24. in Ecclesiæ applicandum usus deponi
 imperavit. Fœminis deinde: nisi ad Fe-
 stum S. Mariæ Magdalenæ Religionem
 Orthodoxam susceperint, exilium indi-
 xit. Reliquis verò lutherum adhuc se-
 quentibus, nisi saniora arripuerint con-
 filia, imposuit: ut ad diem Divo Bartho-
 lomæo Apostolo dicatum, venditis domi-
 bus, cæteráq; supelleſtili Solnâ egrede-
 rentur. Demùm Magistratui ſaluberri-
 ma mandata exequenda commifit, ut ni-
 mirūm:

Fili ex scoblis lutherarorum reducantur; filias ad loca hæresi infecta missas revocent, Magistratuiq; sistant.

Licet alteruter tantum lutheranus esset, beneficiis Civilibus privetur, tametsi foris degere, & ad officia non assumatur.

Fiscus oppidanus non nisi Catholicus deligatur.

Parocho loci Magistratus omni auxilio adsit.

Filios, & Filias, famulos domesticos, Patres, & Matres Familias, Domini item sub multa fl. Rhen. 3. ad audiendam doctrinam Christianam mittant.

Qui Sacro Sancto Missæ Sacrificio Dominicis, & Festis diebus interesse neglexerint, per Judicem plectantur.

Fora hebdomadaria ferialibus diebus, ut prius receptum erat, habeantur.

Confessionem Paschalem, qui neglexerint, pœnâ fl. Rhen. 6. corrigantur.

Violatores jejuniorum, & abstinentiæ ab usu carnium pariter castigantur.

DUm hæc sapientissimè constitueret, trium horarum spatio inculcaret, que serid, non cessabat per intervalla præsentes lutheranos utriusq; sexūs Excellentissimus Comes, & præsertim ad ex-

tremum pro ea, quā pollet vir hic Clarissimus singulari eloquentia adhortari; ut tandem aliquādo de salute animarū suarū cogitarent, depositisque perversis erroribus, sanctum aliorum exemplum sequi in animum inducerent. Verūm ubi observasset, adeò non ullos in saxum obduruisse ad pia monita; ut neque Consilii Regii Decretum, neque sua imperia, & toties repetitae monitiones, neque Patrum Solnensium adhortationes, neque conversorum frequentia, ad eam fidem pertinaces aliquos amplectendam impellere valeant: quam Salvator ipse fundavit, & miraculis à se, & fidelibus suis patratis roboravit, quam Apostoli toto orbe prædicaverunt, tot fortissimi Martyres sanguine profuso defenderunt, quā Sanctissimi Viri constāter tenuerunt, sine qua denique saluti locus non esset. Justissimō succensus Zelō; nē ullus amplius de sua constanti, seriāq; voluntate, vel subdubitare posset, imprimis Magistrati à se jam intimata sub multa fl. Rhen. Ioo. servanda præcepit, tum à se absolu-
tē non tolerandum imposterum ullum hæreticum, coram promiscua multitudi-
ne

ne clara voce pronunciavit: DEum, Gloriosamq; DEI Genitricem, Magnam Hungariæ Dominam , ac Patronam palam testatus.

HÆserunt hæretici, variòsq; motus inexpectatissimum edictum excitavit; alii quidem emolliti, inflexiø sunt: alii verò desertis Solnæ Uxoribus sectam lutheri, non nisi à sceleribus suis noti (cujus vel ipsos acutiores sectatores pudet, dum lutheranos vocari se non patiuntur) profitendo, viciniā pererrare maluerunt; quām pacatam in oppido vitam agentes, Fidem à Sanctissimo Rege nostro Stephano propagatam , subditisq; suis enixè commendatam, à Majoribus nostris integrimè cultam , Hungarorum invicta virtute tot sæculis contra Barbararum Gentium impetum deffensam, recipere, animarum æternæ felicitati consulturi. Inanissima, ut sæpè est audire, hac impulsione; nihil nisi Verbum DEI scriptum esse sequendum. Unde Evangelici vocitari affectant.

Quām id verò temerè, quis est, qui nō pervideret; si in mores lutheranorum intenderet oculos? Consilia enim

Evangelica cane pejus, & angve aver-
 santur, operum bonorum necessitatem ad
 salutem, Præceptorum Divinorum ob-
 servantiam, aliāq; Catholicis familiaria,
 quæ tamen Clarissimis Evangelii verbis
 commendatāq; reperiuntur. Satagebāt
 quidem Coriphæi sectariorum ea in sacro
 Codice mutare, aut omittere, quibus
 premi se noverant, imò propriâ expe-
 rientiâ didicerunt; nunquam tamen ita
 poterant depravare; ut non supersint
 Catholicis acutissima tela, quibus lucu-
 lenter feriantur, agnituri lumen veritatis
 aliquando; nisi liberæ vitæ amore capti,
 licentiâ quidlibet sentiendi excæcati (dū
 malè agunt, ut Salvator prædixit) lucem
 fugerent, petereq; à DEO illustrari neg-
 ligerent. Supersunt ex ejusmodi farinæ
 Solnensibus olim incolis quaterni solum
 ut fertur. Faxit Optimus DEus! ut in-
 felicissimo sibi similiū edocti interitu,
 animæ perdendæ periculum agnoscant;
 antequam, & ipsi ad supremum vivorum,
 & mortuorum Judicis Tribunal evocen-
 tur, strictam reddituri rationem; quod
 Concivium fideliter jam DEO servienti-
 um vestigia non sint secuti.

Et

EA siquidem cæteri Solnenses ejurata
hæresi edunt pietatis specimina; ut
quæ priùs erat errorum magistra, fieret
eximia Cultrix Veritatis. Singularis cer-
tè elucet in audiendo Missæ Sacrificio
modestia accurritur avidè ad Sacrum Pœ-
nitentiæ Tribunal, Epulum Eucharisti-
cum, ad Conciones, Catecheses excipi-
endas frequentissimi adsunt, Magistratus
cum Civibus certat pietate in DEum, su-
peros omnes, ac vel maximè Virginem
Beatissimam. Familiare jam Iconem Ma-
gnæ Matris à Virginibus delectis, & ni-
tidiùs exultis deportari publicè, Corol-
lam Marianam in Templo, in supplica-
tionibus clara voce recitare, aliisque te-
neræ Devotionis officijs honorare.

QUæ singula, ut altiores figant radices
erecta est Confraternitas sub titulo
Sanctissimi Rosarii, quot Capitibus hacte-
nus aucta, tot pietatis ferventis exemplis
clarior effecta. Illud verò admiratione
dignum, nec præteriri potest, quod Sol-
nenses, qui olim Societatis JESU opera-
rios tot incommodis affecerant, ejectosq;
à suis foribus, imò Hungaria ipsa cu-
piebant, adeò nunc esse mutatos, sit Laus

Superis; ut sola Solna in Societate JESU numeret actu, qui aut jam in Vinea Domini indefeso conatu laborant, aut ad labores Apostolicos præparantur, tredecim.

ET hunc tandem exitum habuerunt Clarissimorum in Hungaria Virorum Szelepcsnij, Kolonicssi, Eszterhazij, Erdödii molimina, æterna dignissima mercede. Celsissimus, & Eminen-
tissimus incepit, Celsissimus continuavit,
Excellentissimus feliciter terminavit;
dum singuli benevolentia, Auctoritate,
ære, Patrum Societatis JESU Zelum pro
movebant, & subditos suos omnibus in-
dustriæ nervis ad ianiora capeſſenda im-
pellere non cessa-
bant.





**MONUMENTUM
HONORIS PRIMARIIS ZELOTIBUS
METAMORPHOSIS HUJUS
IN BONUM.**

I.

CELSISSIMO PRINCIPI

*GEORGIO SZELEPCSÉNI ARCHI-EPISCOPO
STRIGONIENSI.*

Glorioso apud Solnenses Catholicæ Religionis Fundatori.

Qui iniquissimis temporibus obstantem primus devicit hæresim.

Dum veræ Fidei Propugnatores Societatis JESU Patres, Solnam Primus induxit:

Atq; ut perpetuò conservaret, vitæ subsidiis instruxit.

Modernæ pietatis flos, tanto Autouri debet sementem:

Et hæc Religionis Catholicæ firmitas ja-
cto à tanto Principe fundamento instig-
tit.

Felix Ungaria! si omnis tantum Patrem nanciscatur.

II.

II.

EMINENTISSIMO
S.R.E. CARDINALI *Leopoldo*
à KOLLONITS

Religionis Catholicæ in Solnensi Op-
pido Zelatori optimo, & Patrum
Soc. JESU Benefactori.

Ut teneram fidei plantam ab incursibus
„tutam redderet ; hæreticum ministel-
lum expulit.

Ut nè is unquam redire posset : fidis vigili-
bus Societatis JESU Patribus certas æ-
des ære comparare adjuvit.

Ut universa hæresis desperaret : non nisi
illius profligandæ conditione Solnam
vendidit.

Nunquam vera fides metuat ; ubi tantô
Præsidiô munita.

III.

CELSISSIMO S.R.J.
PRINCIPI REGNI HUNGARIAE
PALATINO
PAULO ESZTERHAZI

Fidei Romano-Catholicæ, & Patrū So-
cietatis J. Solnæ Insigni Promotori.

La-

Laborabas plurimū Princeps zelosissi-
me; ut nè quiescere posset unquam hæ-
resis.

Nec majorem credebas esse gloriam:
Quàm si hæresim contemptissimam red-
deres.

Bellum indixisti sine crurore hostibus ijs:
Qui redemptas Sanguine Christi animas
tuas in captivitatem hostis infernalis
rursus tradere non perhorrescebant.

Sed quid mirum! fido MARIÆ Clienti, cū
eius hostibus pax esse non potest.

IV.

EXCELENTISSIMO,
REVERENDISSIMO DOMINO CO-
MITI ADAMO LADISLAO ERDÓDI
EPISCOPO DIÆCESANO.

Religionis Romano-Catholicæ, & Re-
sidentiæ Patrum Societatis JESU
Solnæ Protectori.

Omnès veri Pastoris implevisti partes
Præsul vigilantissime:

Dum rem Catholicam sæpiùs in discrimē
actam, apud non faventes strenue, &
constanter defendisti.

Paternâ benevolentâ, opem tulisti labo-
ran-

rantibus, consilio, & fortitudine conatus hæresis obstitisti.

Nè in agrum Domini errorum semina jaceere possit hæresis, viam providè præclusisti.

V.

**EXCELENTISSIMO,
AC ILLUSTRISSIMO DOMINO CO-
MITI GEORGIO ERDÖDI SOLNÆ TERRE-
STRİ DOMINO.**

Religionis Romano-Catholicæ Consumatori, & Patrū S. J. Fautori.

Qui pietate, & constantia, utrāq; maximâ Veræ Fidei Triumphum tandem deduxit.

Expectante tot annos gloria:

Ut in tanto Catholicæ Ecclesiæ Assertore quiesceret.

Nempe Erdödi esse debuit, qui tantum opus absolveret; ut doceretur:

Stante Erdödio non posse non profligata jaceere hæresim.

Numen votis nostris intende!

Et hanc veræ fidei spem nobis diu serva-

Ac plures esse Georgios Erdödi concede!

Antiqua Hungariæ pietas reflorescet.

ILLUSTRISSIMIS, RE-
verendissimis, Magnificis, Spectabilibus, ac
Generofis, Dominis, Incliti Comitatus Trenshiniensi
Religionis Romano-Catolica Defensoribus, & Patrum
Societatis JESU Sotna Conserua-
toribus.

Quid mirum prævalere non posse
 hæresim.

Si quod viros, tot hostes inveniat. Et
 tales?

Euge Roma! euge Hungaria!


Tantis Filiis, dum non destitueris, felix
 es!


Populares, hæc vestigia insistite, & hæ-
 resis damna non sentientur.

Præcelsas cogitationes assumite; ut in
 præcelfa gloriæ æviternæ culmina eve-
 hamini.

Ita vovent, ponuntque gratitudinis ergo.

F I N I S.





Christian. Thomashii Reformationis prætorium ad Ego
inde fons domini regnus ab aliis suis multis personæ cum
providetur Religionem suamque proposita tenet
Halle 1689. IIII

Nomina archistarum qui apud Thracianos
in absconde Religionem tenuerunt. Conf. plurimorum de.
sideriorum pag 92. 93. 94. ad 98.

RA
2601-2

